30.5.20.



Digitized by Google

D. ANTONII
MASSÆ GALLESII
LEGALIA OPVSCVLA.

QVORVM TITVLOS indicat uerſa pagina: utilitatem uero declarat ſequens Impreſſoris epiſtola.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ne turbata uolent rapidis oracula uentis,



Nunc folio uates commodiore ſonat.

Cautum eſt edicto Summi Pont. & Illuſtriſſ. Senatus Veneti ad annos decem.

13 10 5 20

Tituli opuſculorum.

De Bonæ fidei iudiciis. folio. 1

Præparatio in iuris ciuilis inſtitutiones. fol. 25.

De exceptionibus, ſeu Praxis iudicialis. fol. 42.

De uſu iudiciorum palatii Pontificii. fol. 56.

Epiſtola ad Raynucium Cardinalem ſancti Angeli. fol. 74.

MICHAEL TRAMEZInus Iuris ſcientiæ Studioſis. S.

BIBLIOTE. ROMA. VITTORIO EMANUELE

CVM intellexiſſem Iuris & Legum facultatem tribus in rebus potisſimum uerſari, ut leges ipſæ commode ferantur, ut iam latæ diſcantur, & iuxta illas uiuendo ſe homines exerceant. animaduertiſſemq; D. Ant. Maſſam Galleſium, uirum & doctum, & in agendis cauſis diu Romæ exercitatum in quibuſdam ſuis, quos diuerſis temporibus edidit, libellis, ad ea ſingula proſpexiſſe. Operepræcium & rem facturum me eſſe uobis omnibus Iuris ſcientiæ ſtudioſi non ingratam ſum arbitratus, ſi eos libellos ingenioſæ inuentionis plenos in unum recollectos uobis ederem. Diſpoſui autem eos, non ex ordine temporis ſecundum quod ab Auctore ipſo emanauerunt: ſed quemadmodum uiſum mihi eſt rebus ipſis conuenire. Poſui enim primum libellum, cui titulus eſt, De iudiciis bonæ fidei, in quo ſpecimen quoddam traditum eſt maioris operis, quod idem Auctor, de legum principiis, ferendarumq; legum arte ſtruere fertur. Deinde alterum, qui inſcribitur, Præparatio in iuris ci

uilis inſtitutiones, qui unus ingenioſis adoleſcentibus ſatis eſſe poteſt ad Romani iuris ciuilis, latarumq́ iam, quibus utimur, legum ſcientiam addiſcendam. Huic ſubſequitur tertius, ex quo unuſquiſque (modo ne plus quàm craſſæ fuerit Mineruæ) agendarum iudicandarumq́ ſimul cauſarum, elegantem & rectam ingredi poterit uiam & rationem. cui libello quanuis Auctor (quæ ſua eſt modeſtia) duntaxat, De exceptionibus, titulum indidiſſet, is tamen dignus mihi uiſus eſt, ut Praxis iudicialis generali inſcriptione decoretur.

Quarto loco poſitus eſt alius liber, qui particularem Romanæ Curiæ, ac Palatii potisſimum Pontificii iudiciorum uſum tradit, in quo ſimul exercitatio in Romana Curia Iuriſperitorum: ſimul recte inſtituendi iudicia tribunaliaq́ (quæ pars eſt legum ferendarum facultatis) ratio perſpici poteſt. Addita eſt poſtremo loco, ante hâc non impreſſa, iucundisſimaq́ non minus quàm docta eiuſdem Auctoris epiſtola, nuper ad Raynucium Cardinalem ſancti Angeli ſcripta. cuius illud eſt argumentum. Quod Romanæ Eccleſiæ Cardinali neceſſaria ſit Iuris ſcientia. quæ quidem iucundior lectu fuiſſet, ſi prior illa, cui hæc ex oppoſito reſpondit, edita eſſet: ſed quoniam illam habere mihi hactenus datum non eſt, nolui

differre amplius, quin hanc legendam uobis offer rem. ¶ *Legite ergo alacri ſed attento animo, iuris ſtudioſi hæc opuſcula: quæ ſub eleganti bre uitate, immenſam continent utilitatem, quod uoſ metipſi quum legeritis (ut ſpero) me non mentitum eſſe iudicabitis.*

MOTV Proprio &c.cum ſicut dilectus filius noſter Michael Tramezinus Bibliopola Venetus nobis exponi fecit ad communem omniũ, & precipue Iuris ſtudioſorum utilitatem ſua propria impenſa diuerſa opera in utroq; iure hactenus non impreſſa imprimi facere intendat dubitetq; ne huiuſmodi opera poſtmodum ab aliis abſq; eius licentia imprimãtur, quod in maximũ ſuum præiudicium tenderet. Nos propterea eius indemnitati conſulere uolentes. Motu ſimili & ex certa ſcientia eidem. Michaeli, ne queuis opera in utroq; iure hactenus non impreſſa & per ipſum imprimenda per decem annos poſt impreſſionem dictorum operum à quocunq; ſine ipſius licentia imprimi aut uendi, ſeu uenalia teneri poſſint concedimus & indulgemus. Inhibẽtes omnibus & ſingulis utriuſq; ſexus Chriſti fidelibus, ubiq; tam in Italia quam extra italiam exiſten. præſertim Bibliopolis & librorum impreſſoribus ſub excommunicationis latę ſententiæ. In terris uero Sanctæ Ro. Eccleſiæ mediate uel immediate ſubiectis etiam ducentorum Ducatorum auri, et inſuper amisſionis Librorum pena toties quoties contrauentum fuerit ipſo facto, & abſq; alia declaratione incurrenda, ne intra decennium ab impresſione dictorum operum reſpectiue computandum dicta opera tam iuris ciuilis quam canonici hactenus non impreſſa & per ipſum Michaelem imprimenda ſine eiuſdem Michaelis ex-

preſſa licentia dicto decennio durante imprime-
re,uendere ſeu uenalia habere uel proponere au-
deant.Mandantes uniuerſis Venerabilibus fra-
tribus noſtris Archiepiſcopis. epiſcopis eorumq́;
uicariis in ſpiritualibus generalibus,&in Statu tē
porali Sanctæ Ro.Eccl. etiam legatis & Vicele-
gatis ſedis Apoſtolicæ ac ipſius ſtatus gubernato
ribus,ut quoties pro ipſius Michaelis parte fue-
rint requiſiti uel eorum aliquis fuerit requiſitus
eidem Michaeli efficacis defenſionis præſidio aſ-
ſiſtentes præmiſſa ad omnem dicti Michaelis re
quiſitionem contra inobedientes & rebelles per
cenſuras eccleſiaſticas,etiam ſæpius aggrauan. &
per alia iuris remedia auctoritate Apoſtolica exe
quantur.Inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit au
xilio brachii ſecularis non obſtan. conſtitutioni-
bus & ordinationibus apoſtolicis cæteriſq́; con-
trariis quibuſcunq;,& inſuper quia difficile admo
dum eſſet præſentem motum proprium ad queli-
bet loca deferri,uolumus & apoſtolica auctorita
te decernimus ipſius tranſumptis uel exemplis,
etiam in ipſis operibus impreſsis plenam & ean-
dem prorſus fidem ubiq; tam in iudicio quam
extra haberi quæ præſenti originali haberetur,&
quod præſentis motus proprii,ſola Signatura ſuf
ficiat,& ubiq; fidē faciat in iudicio & extra Reg.
noſtra in contrarium edita non obſt.

PLACET A.

1548. Die xvi. Februarii. In Rogatis.

Che per autorita di queſto Conſeglio, ſia conceſſo al fedel noſtro Michele Tramezzino libraro, che per anni X. proſſimi alcuno ſenza permiſſione ſua non poſſa ſtampar, ne far ſtampar, ne uender in queſta citta, & in cadaun altro luogo del Dominio noſtro, ne altroue ſtampati in quelli uender l'opera di Galeno de ſanitate tuenda, & de curandis animi morbis, tradotta in uolgare per M. Iacomo Tarchagnota Gaetano, & le opere legali di M. Antonio Maſſa Galleſio, ſotto pena alli contrafacenti di perder le opere, & di ducati ducento per cadauno, da eſſere diuiſa per terzo fra l'accuſator, il magiſtrato, che fara la eſecutione, & lui ſupplicante: ilqual ſia obligato di oſſeruare quello che per le leggi noſtre è diſpoſto in materia di ſtampe.

Hieronymus Falcon.
Duc. Not.

A. Colotius.

Quæ Draco, quæq; Solō, q̃ Minos, q̃q; Lycurgus,
Atq; Viri in Tabulis instituere Decem.
Et quæ uis populi iuſſa, aut conſulta Senatus,
Condita in Eois, condita in Heſperiis.
Galleſi didicere manum tolerare magiſtram,
Et patitur legem quod ſine lege fuit.
Et ſpecimē dedit hoc, facile ut dignoſcere poſſis,
Qua reliquum fœlix arte redegit opus.

Idem ad Galleſium.

Multorum fuerant numeroſa uolumina Legum:
Sed breuis ordo libros hos dabit eſſe tuos.

Ad Lectorem, P. Curſius.

Quid iubeant, quid iura uetent, res nota legenti:
Cur tamen hoc iubeant, hoc uetuere, latet.
Hinc congeſta diu tam multa uolumina, litis
Sunt mage quàm iuris uiſa aperire uias.
Non tulit hoc doctus Galleſius, extudit artem,
Qua iuſſi ratio iam uetitiq; patet.
Magna ſed ut paruo cenſetur ab ungue Leæna:
Sic totum, è parte hac coniice lector opus.

Galleſi Pallas legeret cum ſcripta diſerti,
Vnde habet hic noſtri pectoris orſa, refert.
Aut ſibi præſcribat titulos hæc pagina noſtros,
Palladio aut poſthac deſinat ore loqui.

Idem.

Formoſam imprudens uitreis dũ ludit in undis
Acteon Phœben uidit, & interiit.
At tu legiferæ ſcrutatus pectora Diuæ,
Antoni uolitas docta per ora uirum.

Idem.

Caucaſea pendit pœnas ſub rupe Prometheus
Ignis quod cœlo ſemina ſurpuerit.
Enitet docta prudens Galleſius ore,
Aſtreæ ſuperas depopulatus opes.

Lud. Faber Phancñ.

Securi inſontes iam tandem uiuite, tuq;
Extra orbis fines impia turba fuge.
Vendicat Aſtreæ clypeum nam uictor & haſtam
Maſſa, atq; amiſſæ ſigna refert fidei.

ILLVSTRISSIMO AC REVE-
rendiſsimo D. D. Alex. Cæſarino S. R.
Eccle. Card. ampliſs. Antonius
Maſſa Galleſius S. D.

ILluſtriſsime, ac Reuerendiſſime Domine, Cum Gulielmus Pontanus, iuris doctor celeberrimus, cuius ego olim Peruſiæ Auditor fui, nuper mihi per literas ſignificaſſet, ſe animaduertiſſe in quodam meo libello, me pollicitum de legum principiis opus editurum: ac propterea (ut ſunt homines ſemper nouitatum auidi) me impenſe rogauiſſet, ut qualia ſint ea principia, quæue ex eo opere futura ſit utilitas, ad eum reſcriberem: ac ſimul efflagitauiſſet, ut ſe certiorem facerem, à quo principio, actionum differentiã, quarum quædam bonæ fidei, quædam ſtricti iuris eſſe traduntur, deductam exiſtimem: hac motus (ut ipſe ſcripſit) ratione quod à nemine, qui ea de re hactenus tractauerit, ſibi eſſet ſatisfactũ. Cumq; ego ſibi (uti non ingratum decebat diſcipulum) ad quæ me rogaſſet reſpondiſſem. idem ad me non multo poſt reſcripſit, meam reſponſionem, & ſibi, & quibus eam amicis oſtendiſſet, adeo placuiſſe, ut a multis nedum lecta, ſed etiã ex ſcripta fuiſſet: quamobrem, aiebat, nõ parum ſe uere-

ri, ne ab illorum aliquo, quibus illam amice credi⸗diſſet, aut meo, aut alieno nomine, imperfecta, in emendataq; impreſſoribus traderetur. Ego igitur illius timorem aut omnino meum, aut ſaltem ad me magis pertinere intelligens, & præſertim cum ſuperioribus ſim diebus expertus, quanto in diſcrimine uerſetur hominũ uita: præter animi mei ſententiam, libellũ hunc edere conſtitui: ut ſiquid forte de me interea fieret, uir aliquis doctior, quod ego nondum plane perfecerim, argumento inuitatus, & adiutus meo, perficere poſſit. Sumpſi autem mihi hoc, ut ipſum libellum ſub tuo nomine foras darem, cum ut ſit meæ erga te obſeruantiæ teſtimonium, tum præcipue, ut tui nominis ſplendore, ac uirtutum fama, legentium opinioni facilius imprimatur. Vale.

Romę. XX. Decemb. M. D. XXXIX.

SVMMA NOTABILIVM RErum, quæ uel hic, primum, uel aliter quam alibi determinari uidentur.

1 Hiſtoria de inuentione iudiciorum bonæ fidei.
2 Cauſæ talis inuentionis.
3 Formula ſuper hoc excogitata.
4 Significatio nominum, & differentia, quæ erat inter iudicia bonæ fidei, & ſtricti iuris.
5 Diuerſa ratione dici contractus bonæ fidei, & iudicia bonæ fidei.
6 Quod diuiſio actionum in bonæ fidei, & ſtricti iuris, non ſit ex differentia ſubſtãtiæ.
7 Quod ea diuiſio nihilominus ſit recto, atque uſitato modo, facta.
8 Sed quod ſit alia ratione ſuperuacua, & inutilis, ſublatis, uidelicet, cauſis propter quas bonæ fidei, & ſtricti iuris differentia introducta fuerat.
9 Quod cæterę dictarum actionum differentiæ à Doctorib. irrationabiliter tradũt.
10 Verus intellectus. §. actionum. & §. præterea. inſt. de actioni. ex quo comprobantur ſuperius dicta, & inſuper declaratur arbitrariarum actionum natura.
11 Quod pręter enumerata in dicto. §. actionũ, eſſent alia bonæ fidei iudicia, & de ſigni

ficatu nominis fiduciæ.

12 Impugnatur doctrina Baldi, dicentis quod de æquitate canonica, omnes contractus ſunt bonæ fidei, &c. & obiter de qualitate ſcriptorum Baldi, & quam ea ſint accurate legenda.

13 Certitudo quæ in petitionibus exigitur, quotuplex ſit.

14 Certitudo in ſententia, quotuplex, & cur exigatur.

15 Compromiſſorum, & arbitralium ſententiarum ratio.

16 Vera ratio principii iudiciorum bonæ fidei.

17 Actio dotis, quod non ſit de iure gentium.

18 Incerta, uel alternatiua petitio, quando recipiatur.

19 Cur ex multis licet honeſtis diſpoſitionibus, & comerciis, uel nulla, uel nō omnis, uel nō plena detur tum actio, tum executio, unde etiam nudi pacti natura dignoſci poteſt.

20 De certitudine ſententiæ, notabilis diſquiſitio.

21 Cur ex mutuo, & ex ſtipulatione, bonæ fidei iudicia non eiicerentur.

22 Cur iniquus ſit denegare depoſitū: q̃ mutuū commodatum, & precario conceſſum.

23 Cur directis iudiciis, tutelæ, mandati, proſocio, & depoſitis, damnati, ſint infames.

DE IVDICIIS BONÆ FIDEI EX reſponſione Antonii Maſſæ Galleſii, ad Gulielmum Pontanum Peruſinum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TRADIT VRVS Principia iudiciorum bonæ fidei, Pontane præceptor uenerande, neceſſario prius ab initio quid de illis habeat hiſtoria, repetendum duxi: non quia uel te quæſiuiſſe hoc exiſtimem, uel ego ubi de legum principiis ſcribere ſum pollicitus, de Romanis tantummodo legibus, atq; de temporum & hiſtoriæ principiis intellexerim: ſed quod hæc ad illa quæ ſum dicturus, non modicã
1 euidentiæ lucem ſnnt adlatura.† * Et quidem initio Vrbis non erant actiones, ſed iure gentium manu Regia controuerſiæ dirimebantur: donec latis legibus .xii. tab. actiones compoſitæ ſunt, quibus inter ſe homines diſceptarent, quas ne populus ut uellet inſtitueret, certas ſolemneſq; eſſe uoluerunt: ut ſic in Rep. degentibus conſultum foret, & ne iudicia ad cuiuſuis arbitrium uariare, & ſubſiſterent nec ne, ſententiam undelibet expectare cogerentur, & appellabatur hæc pars iuris, legis actio, à qua tractatum eſt, lege agere, ideſt iis actionibus experiri. * Quod autem attinet ad rem noſtram, ſolemnis, atq; omnibus in perſonam actionibus communis conditionis formulæ, uerba erãt

*l.ii.ff.de ori. iur.

*Vt.ff.de off. iurid.l.i. de offi. procoſ.l.ii. de adop.l.iiii.

per quæ concludebatur. Aduerſarium dare oporte
re, itemq; facere oportere, prout dandum uel facien
dum, aut utrunq; eſſet in obligatione. † * Verum 2
quia cautũ erat iiſdem ll. xii. tab. ut certum quid
peteretur, atq; id ne plus debito exprimi deberet,
alias qui lege agendo plus petens, quam quãtum
lex permiſerat, formula excidiſſet, cauſa caderet,
idest rem * amitteret. Itemq; ut id ſolum de quo
actum eſſet expreſſe inter cõtrahentes, & nihil præ
terea in iudicium ueniret, nec extraneorum ulla cõ
ſideratio admitteretur, ſed ſatis eſſet ſi ea præſtarẽ
tur, quæ lingua nuncupata eſſent. * Erant autem
interdum qui propter obligationis tum incertitu=
dinem, tum perplexitatem, non poterant omnino
certum quid peterent deſcribere: atq; ita coacti, uel
minus petebat quam debitum putarent, uel pericu
lum perdendi cauſam ſubibant immeriti: uel ad
compromiſſum confugiebant inuiti. Erant præte=
res qui bona & ſimplici fide contrahentes, uel ni=
hil omnino, uel non omni ex parte plenas cautio=
nes expreſſerant, ſicq; inique detrimentum patie=
bantur. Proinde ſine lege, uſu introductum eſt. ut
in iis iudiciis, quæ ideo poſtea bonæ fidei dicta
ſunt, ſi dictę cõmunis formulę cõcluſioni addere=
tur. Ex fide bona. tunc neq; eſſet neceſſe certum
quid peteretur exprime, atq; ita periculum perden
di cauſam ſubire: neq; illud arctiſſimis contractuũ
uerbis conſtitutum ius noceret: ſed unuſquiſq; iu
dicis officio conſequeretur id, quod etiam non ex=

*Vt inſt. de act. §. i. §. appellamus. §. hinc aũt q loco, & quib. mo. toll. obl. §. eſt aũt prodita. & . ff. de acceptil. l. & uno. §. i.

*Vt inſt. de act. §. ſiquis agens. & Cic. pro. Roſ. cõ. et de orat. li. i.

*Vt refert Cic. offi. iii. et prob. C. de pact. l. pactuũ quod bona fide. & . C. loc. l. emptorem.

preſſum æquitate ſuadēte, appareret, aduerſarium ſibi dare aut facere oportere, ex fide bona. ita ut libera poteſtas permitteretur iudici, quidnam agendum eſſet, & conueniret, non ex præſcripto, legum & ſtrictis contractuum uerbis ſolummodo quærere. ſed etiam ex bona fide contrahentium* arbitrari, quicquid alterum alteri ex bono, & æquo pręſtare oporteret. *Vt inſt. de act. §. in bo. fidei. et de obli. ex. cōſ. inſi. et. C. de compēſ. l. fi.
3 † Igitur quia dictæ communi formulæ addebantur uerba. Ex fide bona. ita ut, concluderetur. Quicquid aduerſarium dare, aut facere oporteret ex fide bona, ab ipſo huiuſmodi formulæ additamento alia bonæ fidei iudicia dicta ſunt, alia uero differentiæ cauſa, ſtricti iuris. Quod ita eſſe, tum ex aliis multis, tum ex his præcipue locis probari uidetur. Inquit enim Ci. li. offi. tertio. Atq; iſte dolus malus etiam legibus erat uindicatus, ut tutela. xii. tab. & circumſcriptio adoleſcentum lege plectoria, & ſine lege, iudiciis in quibus additur, ex fide bona, & paulo inferius. Q. quidē Scæuola Pont. max. ſummam uim eſſe dicebat in omnibus iis arbitriis, in quibus adderetur ex fide bona, & idem in Topic. In omnibus igitur iis iudiciis, in quibus ex fide bona eſt additum, plurimus eſt cauſarum uſus. & alio loco. Arbitrum illum adegit, quicquid ſibi dare facere oporteret, ex fide bona. & Paulus Iureconſ. * in quantum illum cōdemnari ex fide bona oportebit. Verſabatur autē prius hoc bonæ fidei nomen, atq; additamentum, eodem. Cic. teſte, in tutelis, ſocietatibus, fiduciis, mā *In. l. quero. ff. loca.

datis,rebus emptis uenditis,conductis locatis. His alia quædam poſtea,quaſi eis ſimilia, fuerunt aggregata,uidelicet,ad ſimilitudinẽ ſocietatis, iudicia familiæ Herciſcundæ, & cõmuni diuidundo.ad ſimilitudinem mandati,negociorum geſtorum.ad ſimilitudinem empti,& uenditi,illæ quæ præſcriptis uerbis de æſtimato,& ex permutatione competũt. & præterea commodati,depoſiti, præſciptis uerbis de precario,rei uxoriæ actio.& demum petitio hæreditatis,& actio ex ſtipulatu pro re uxoria.*His quaſi fundamentis iactis, uideor mihi, & ad illud quod petiiſti facilius reſpondere,& præterea multas quæ circa hæc,& de his fiunt dubitationes,diſſoluere poſſe. Et eſſet fottaſſe de quæſito ſatisfactum,iis qui(modo habeant quos prętendant dictorum autores)non curant ex arte, atq; per cauſas,& principia ſcire:cum intelligerent,bonæ fidei additamentũ dictarum actionum formulis,ęquitatis gratia factum per eam autem æquitatem, duplicem legum.xii. tab. duritiam, atq; aſperitatem, delinitam fuiſſe. Verum quia (ſicut in principio dixi)neq; te hiſtoriam petiiſſe arbitror, neq; ego hiſtoriam,ſed quæ ſunt de ratione artis principia, inueſtiganda eſſe cenſeo,ſubnectam poſtea, qualia hæc quoq; iudicem. Interim autem dubitationes alias diluam. Qua in re quoniam contra receptas multorum opiniones,non pauca dicenda ſunt: & ſi uideo fieri poſſe,ut inuidiam in me non modicam excitem: proſequar tamen,quando quidem teſtis

*De quib. omnibus inſt. de act. § actio.

mihi ſum,quia non ut antiquioribus aliquid de-
traham , quorum ſum obſeruātisſimus : neq; ut
hinc mihi,uel lucrum,uel gloriam comparem, talia
ſcribere ſoleo.ſed ſimul ut honeſte tranſigantur ſi
quæ à negociis mihi ſuper ſunt horæ:ſimul ut in
commune bonum aliquid conferam.

4 † Primum igitur ex antedictis apparere mihi ui-
detur,quid bonæ fidei nomen actionibus illis ad-
diderit,quid'ue ſignificaret,atq; item in aliis appel-
latio ſtricti iuris.Nempe quia(ut etiam Boetius
exponit)in his ita iudices dabantur,ut non ex bo-
na fide,qui fuiſſet contrahentium animus,ſed tan-
tum ſtrictas inter litigantes pactiones,ſtipulatio-
nes'ue,quærerent:& in eis remanente.xii. tab. ri-
gore,plus petentes cauſa caderent . * Nec facile re
ſtituerentur,niſi minores.xxv.annis,aut alii ex ma
gna cauſa iuſti erroris.in illis autem ita dabantur,
ut æquitatis ratio haberetur atq; ita ut contrahen-
tes inuicem ſe undiq; indemnes * præſtarent.

*Inſt.de actio. §.ſiquis agēs et tradit Sue. in uita Claudij.

*ut prob.ff.loca.d.l.quæro. & l.dñs.§. q cōtra.et.l.ſi tibi domū.§.i.

¶ Apparet conſequenter , quæ nam eſſet inter
utraſq; actiones differentia,ex hoc quod hæ bonæ
fidei dicerentur,illæ ſtricti iuris,nempe illud dum
taxat,quod amplior erat,uel ſtrictior iudicis facul
tas:ad quod cum Boe. ſuperius citato facit.l. in
actionibus.§.plane.ff.de in lit.iur.& l.ult.C. de
5 compenſ. † Ex quo & illud conſequitur.Quod di
uerſa ratione dicebatur.Contractus bonæ fidei,di
uerſa iudicium bonæ fidei.Siquidem in iudicio,no
men bonæ fidei concernebat iuriſdictionem iudi-

cantis,idq; interdum aliunde,quam ex cau ſa contractus,ut ex tutelã,& hæreditatis petitione in contractu uero bonam duntaxat contrahentium fidem,quæ inſuper non ita larga ſignificatione in cõtractu, ſicut in iudicio accipitur: * Nam in contractu ſufficit dolum,& fraudem abeſſe,in iudicio autem bonæ fidei,etiam ſi quod ipſius rei de qua contractum eſt uitio,uel aliunde proueniat, damnum compenſari debet. Præterea (ut inferius apparebit)talis actionum bo.fidei, & ſtricti iuris diuiſio, licet a Tribuniano uerbo relicta, re uera ſublata eſt:cum contractuum differenria neceſſaria ſit, & remaneat. Itaq; ad quæſitum gl.inſt.de actio.§. actionum.dum quærit, cur ibi poſuerit Imp. diuiſionem actionum,& non contractuum, ultra id. quod in tractatu de actionibus non conueniebat redire ad materiam cõtractuum prius expoſitam. Præterea,dici poteſt,quia non eandem habet in cõtractibus,quam in actionibus,bona fides ſignificationem. † Manifeſtum etiam fit illud de quo dubitant gl.& Doc.in.d.§.actionũ.Si diuiſio actionum in ſtricti iuris,& bo.fidei.ſit bene,atq; ex præceptis dialecticis poſita,& ducta de ſubſtantiali differentia,uel ne? Qua in re mihi omnes errare uidentur,& qui propterea diuiſionem reprehendunt, quod non conſtet ex oppoſitis ſubſtantialibus ſpeciebus:cum bonæ fidei non ius ſtrictum,ſed mala fides,(ut ipſi aiunt)opponatur, & qui difendunt eam tanquam ex ſubſtantia conſtantem, quod eſt 6

*l.iii.in fi. ff. pro ſoc.l.ſi dolo.C.de reſc. uẽ.l.ſiquis cũ aliter.ff.de uerb.obli.

omnino falſum. Nam eſſe bonæ fidei, uel ſtricti iu
ris, eſt ipſis actionibus poſterius, & conſequens,
quod præſupponit actionem quamlibet exiſtere,
addit autem qualitatem, ſeu notam, & inſigne quod
dam, qualis eſt in re qualibet exceſſus qui eſt à bo
nitate rei adiunctus. ueluti ſi dixeris poema quod
libet, & bonum poema. * huiuſmodi autem res,
nemo dixerit eſſe ſpecie differente. Præterea utraq;
per idem fiunt, & ſunt circa idem, nempe fidem ma
lam, per quam, & de qua fiunt ipſa iudicia, quod ali
ter eueniret, ſi eſſent oppoſitæ ſpecies. Ex quo, & il-
lud (quod obiter dicunt) non eſſe malæ fidei actio
nes, quemadmodum ſit intelligendum, determinari
poteſt: Nam ſi tantum de nomine id intellexerint,
tolerari poteſt: alioqui magnum eſt erratum, cum
non ſolum, quæ bonæ fidei ſunt, ſed cunctæ perſo
nales, ex contractibus proficiſcentes, ob malam, fi-
dem, & de mala fide ſint. Vt prob. ex multis legi
bus. * Et ex Cic. de nat. deo. dicente. Inde tot iu-
dicia de fide mala, tutelæ, mādati. &c. Accidit quod
non omnibus bonæ fidei actionibus eadem com-
petunt natura, ſed multæ inter eas ſunt differentiæ
ueluti eſt illa notiſſima, quod quædam dolum tan
tum abeſſe: quædam dolum & culpam, quædam
etiam exactam diligentiam adhiberi uelint.
* Quod ſimiliter accidit, & in iis quæ ſunt ſtricti
iuris. * Non ſunt autem in ſubſtantia eadem, qui
bus eadem non competunt. Quid quod ferè ſem-
per ex eadem cauſa cum bonæ fidei actionibus

*l. ubi aūt apparet in prin. de uerb. oblig. l. legatis. §. ornaticibus de lega. iii.

*Vt. C. de. dolo. l. i. de poſ. l. ſiqs. de reſcinuendi. l ad reſcindēdā. et. ff. man. l ſi. mādato: ſecūda. §. i. & depoſ. l. i. §. merito.

*l. contractus. de reg. iuris.

*l. cū qd. ſi cepe. l. qcqd adſtringendæ. de uerbo. oblig.

*l.i.C.de fur. l.certi. condi= tio.ſi cer.pe.l. rei. cõmunis. ff.de poſ.

ę quæ ſtricti iuris ſunt oriuntur. * at oppoſitorum oppoſitæ ſunt cauſæ, quemadmodum & effectus oppoſiti. † Nec uidetur propter hoc reprehẽdi iure 7
poſſe Tribunianus, quaſi poſuerit ineptam diuiſionem, cum etiam apud ipſos dialecticos, & Philoſophos, neq; inconueniẽs, neq; inuſitatus ſit is modus, diuidendi ſubiectum per accidentia qualis eſt & illa, teſtamentorum. in ſcriptis, & ſine ſcriptis, & illa concepti, oblati, exhibiti, & non exhibiti furti; quæ formæ, ſeu modi ſunt actionis furti: ſicuti & illæ, quod iuſſu. de in rem uerſo. de peculio &c. quæ (ut ait Placentinus) modi ſunt actionis, de negocio, quod cum eo, qui eſt in aliena poteſtate, geſtum eſſe dicitur, non ſpecies diuerſæ.

¶ † Sed ineſt error fortaſſe alius, quamobrem ui 8
detur Tribunianus reprehendi poſſe, niſi excuſandus eſſet, quod uir græcus, nõ ita exactam habeat Romanarum antiquitatum notitiam. Quãquam ſi (ut ſpero) perfectum opus emiſero. nõ diffido me demonſtraturum, & in ipſius Iuſtiniani à Tribuniano (ut accepimus) dictatis, & in aliis Codicis legibus, ac Pontificiis etiam decretalibus, multos & graues ineſſe errores, nec ſolum ex ignoratione proprietatis linguæ latinæ, & rituum Rom. (quod tolerabilibus eſſet) ſed quia multæ ſunt leges & decretales huiuſmodi carentes ratione principii, ac neq; temporibus, neq; locis accommodatæ. factum (ut puto) quia plerunq; dictandis legibus Principes præponere ſolent uiros, uel parum

doctos

doctos, uel qui exiſtiment uere atq; abſolute id legis habere uigorem, quodcunq; Principi placuerit, magis quam quod ex iuſti principio ducatur. Sed de his, & an eiuſmodi contra rationem poſitas leges mutari expediret, non eſt hic diſſerendi locus, tantum indicare id uolui, ne alias mihi nimis attribuere uiderer, qui Tribunianū eminentisſimum uirum notare audeam, quod nec ſponte facio, ſed dum ſerio agimus dicendū eſt pro ueritate quicquid ſentimus, ad propoſitum igitur redeundo, arbitror recte reprehendi poſſe Tribunianum, qui diuiſionem illam differentiæ iam tum antiquatæ non amplius neceſſariam, & eam ſine præfatione, uel admonitione aliqua poſuit, idq; præter morem ſuum, nam alibi ſolet de his admonere, ut ubi, ne quid antiquitatis ignoretur, ponit illam teſtamentorum calatis comitiis, & procincti, olim differentiam, & ubi differentiam legatorum per uindicationem, per damnationem, ſinendi modo, & per pręceptionem recenſet: admonet tamen illam per ſe in deſuetudinem abiiſſe, hanc Principum cōſtitutionibus eſſe ſublatam, & unam omnibus legatis remanſiſſe naturam. Abolitam autem iam tum fuiſſe dictam actionum differentiam, uidetur negare non poſſe, quando conſtat ceſſauiſſe cauſas propter quas erat introducta. Sublatis nanq; per Conſtantinum formulis, & per Theod. & Valentin. actionum impetratio

*l.i. & .ii. C. formu.

*Inſt. de acti. §.ſed & hæc quidam antea.

*l.cũ qd.ſi ce. pet.l.ii. C. de actio.empt. et ibi not.

ne,*ac demum omni periculo perdendi cauſam, ob pluris minoris'ue petitionem,tum per Zenonem,tum per ipſum Iuſtinianũ,remoto.*Permiſſoq; generaliter(ut inferius dicam,) quod ubicũq; actor,ſeu obligationis,& rei qua de agitur natura,ſui'ue aduerſarii facto,ſeu alia probabili cauſa certum exprimere non ualeat,admittatur incerta petitio,omneq; id ueniat in iudiciũ, de quo actum ſit inter contrahentes, id autem actum eſſe intelligatur,quodcunq; ad naturam contractus pertineat. imo ea de quibus neq; actum ſit neq; cogitatum. * Sicq; ampliatis finibus arctiſſimi iuris illius uerborum corticecõcluſi, temperataq; undiq; aſperitate. l.xii.tab. non uidetur ſupereſſe aliquid bonæ fidei iudiciorum præcipuum.

¶Nam quod attinet ad alia,quæ tanquã præcipua bo.fi.actionum doct.tradunt,ſi per ſingula diſcurramus, uidebimus eos longe aberraſſe à ueritate.Cauſam uero erroris fuiſſe non rectã ſuppoſitionem, qua crediderunt eundẽ eſſe bo. fi. ſignificatum in iudiciis,ſeu actionibus,atq; in contractibus,quin imo. (quod eſt abſurdius) idem eſſe iudicium bo.fi. & contractum bo.fi. Ergo cum Tribunianus unam tantummodo poſuerit differentiam,ex bo.fi.qualitate accidẽtem,uidelicet,quòd in illis permitti uideatur iudici libera poteſtas ex bono,& æquo æſtimandi quantum actori reſtitui debeat.noſtri doct. cõ

plures alias enumerare uolentes,in primis unã dicunt,uidelicet,quod in cõtractibus bo.fi. ſi dolus interueniat,& det cauſam cõtractui,tunc cõtractus eſt ipſo iure*nullus,& habetur pro infecto.ſed ſtricti iuris contractus ualet, licet cõpetat decepto,tum de dolo actio,tũ doli exceptio, de qua nos ubi tractabimus principia contractuũ,latius diſſeremus,quantum autẽ attinet ad præſens inſtitutum,eã & Pet.bellap.& alii quãplures non abſurde improbauerunt. defendentes neq; etiam bo.fi.contractum ipſo iure nullũ eſſe:per.l.ſi dolo.C. de reſcin. uend. & ego alia ratione oſtẽdere ſoleo uanã eſſe,argumẽto regulæ.Nihil intereſt ipſo iure aliquid fiat,uel ope exceptionis.ad quod licet reſpondere poſſent,ſicut *alias in ſimili reſpondent,quod nihil intereſſe, intelligendũ ſit,quoad effectũ intentionis conſequendæ,ſiue illam conſequatur quis ipſo iure, ſiue ope exceptionis.ſed quoad obſeruationem iudicialem,& quoad originem multum intereſt, eo quia dum ipſo iure aliquid nõ conſiſtit,tunc poſtquam de illo Iudici cõſtat, is iudex poteſt actorem ex officio repellere nemine petente, & ſi ulterius procedit,proceſſus eſt nullus,& ſentẽtia,ſi feratur,nulla:ubi autem conſiſtit,ſed poteſt exceptione tolli,tunc niſi opponatur exceptio,iudiciũ procedit:& licet in effectu reus nõ ſit obligatus,propter exceptionem ſibi cõpetentem,tamen proceſſus ualet, & ſententia,*& de ſe ipſo

*l.et elegẽtur poſt princ.ff. de dolo.et.C. eo.l.dolo.

*In.§.in bo. fi.inſt.de acti.

*l.ſi unus.§. pac.ff.de pac. & ibi Bar.

conqueri debet, qui nõ oppoſuit exceptionem. Ea tamen reſponſio non tolleret argumentum: nam ſi(ut omnes tenent)etiam ubi contractus bonæ fidei,propter dolum eſt ipſo iure nullus, illud procedit demum,ſi ita uelit deceptus:*quo modo poterit ipſo iure nullitas operari? nam uoluntas non poterit ſine hominis facto, iudici eſſe nota.eſt ergo neceſſario in iudicio declaranda,nec ferè aliud eſt opponere nullitatis exceptionem.Sed demus eam differentiam ſubſiſtere,nec eſſe inutilem,quomodo non uiderunt,illã de contractibus eſſe, non de actionibus? ita quòd neq; etiam contingere, uel exemplificari poteſt in quibuſdam bonæ fidei iudiciis:ſcilicet oſtendent potuiſſe dolum dediſſe cauſam contractui,in iudiciis petitionis hæreditatis, communi diuidundo.familiæ Herciſc.tutelæ, negociorum geſtorum? Alteram ſubiungunt differẽtiam,quod in iudiciis bonæ fidei iuretur in litẽ, cum in ſtricti iuris iudiciis regulariter non iuretur,ad quod citant.l.in actionibus.ff. dein lit. iur.quo tamen ex loco,nihil minus quam quod ipſi uolũt,argui poteſt.Inquit enim ibi Martianus,in actionibus in rem,& ad exhibendum, & in bo.fi.iudiciis,in litem iuratur. & Paulo poſt ſubdit.Plane interdum,& in actione ſtricti iudicii, in litem iuratur, ueluti ſi promiſſor ſtichi moram fecerit,& ſtichus deceſſerit, quia iudex æſtimare ſine delatione iuriſiurandi non poteſt,

*Vt p glo.d. l.et elegãter. & ibi Bar.et gl.in.l. iuriſgẽ.§. prætor de pac. & .l.à diuo pio. de ritu nup. & doc.in.l.dolũ. C.de perie. et com.rei.uend.

rem quæ non extat. Ex quibus uerbis: iuncta. l. ii. eo. titu. euidenter, apparet, quod cum cauſa deferendi iuſiurandum in litem, ſit difficultas æſtimationis per iudicem faciendæ, coniuncta doloſa debitoris mora, id non eſt tantum iudiciorum bonæ fidei, & ex hoc quod bonæ fidei ſint, præcipuum uel proprium, magis quam aliorum, ubi ex facti qualitate ſubſit cauſa deferendi iuriſiurandi.

¶ His ſimiles ſunt omnes aliæ à doct. adnumeratæ differentiæ, quas pariter ſimilibus iam dictis rationibus facillimum eſt refutare. Sit autem ſumma hæc. quod ex bo. fidei, & ſtricti iuris qualitate, nulla erat alia differentia, niſi quod exuberantius, & laxius erat officium iudicis in uno genere, quam in altero. Quod nec ignorauit Tribunianus, qui non aliam quam prædictam tradidit differentiam: licet in eo erra uerit, quod illam, uel extare adhuc putauit, uel ſublatam eſſe non admonuit.

¶ Sed dicet fortaſſe aliquis, hoc quod dico, eſſe contrarium multis legibus, in quibus præter illud unum à Tribuniano poſitum, alia pleraq; ponuntur, ipſis bonæ fidei iudiciis communia, ueluti eſt illud de in litem iurando. item quod uſuræ ueniant ex mora. * & ilud, quod quanti res ſit in bonæ fidei iudiciis, ſpectetur tempus rei iudicatæ, & quod habetur. ff. de iudic. l. in omnibus bo. fidei iudiciis, cum nondum dies

*l. mora. §. in bo. fi. de uſur. l. iii. §. in hac. ff. cõmod.

præſtandæ pecuniæ uenit, ſi agat aliquis ad interponendum cautionem ex iuſta cauſa condemnatio fiat. & ſiqua ſunt alia ſimilia. Sed & huic ex antedictis poterit reſponderi. Quod & ſi talia ſint bonæ fidei iudiciis communia, ex eiſdem tamen locis, & ex aliis quos ibi citant doct. apparet illa, neque ipſis ſolis, neq; ex hoc, quod bonæ fidei ſint, cõpetere. Sed ex primæua ipſorũ iudiciorum natura, & ſubſtantia, cui (ſicut eſt dictum) poſterius acceſſit bonæ fidei nuncupatio. Nec erat inconueniens, ut ſi quandoq; incidebat qualitas, ad quam omnia pariter iudicia huiuſmodi poſſent determinari, boni illi Iuriſconſulti, potius illud enunciationis collectiuæ compendium facerent, quam ut prolixa enumeratione ſingula recenſerent. ueluti iam quando ex authoritate Marciani ſcimus quibus in iudiciis in litem iuratur, non'ne decentius erit, ut quis compendioſe dicat. In omnibus iudiciis, in quibus in litem iuratur, quam ſi omnia ſingulatim recenſendo diceret. In actionibus in rem, & in ad exhibendum, & in bonæ fidei iudiciis, & interdum in actione ſtricti iudicii, ueluti ubi promiſſor ſtichi moram fecerit, & ſtichus deceſſerit, in quibus in litem iuratur? Ecquis amabile illud breuiloquium non præferat faſtidioſæ huic macrologiæ? Sed nemo propterea dicet, hac cõpendiaria denominatione ſignificari aliquid aliud ipſis ſimul cõprehenſis iudiciis na-

tura,& ſubſtãtia eſſe cõmune,quam illud, quod in eis iuretur in litẽ. At Tribunianus non qui- dẽ ignorauiſſe uidetur, nihil aliud eſſe iudiciis bo.fi.ex hoc: quod bo.fi.dicerentur, commune, quam illud quod poſuit in.d.§.in bo.fi.inſt. de actio. Sed ex illo tantũ errauiſſe, quod neſcierit cauſas antiqui ritus,& inſtitutiõis iudiciorũ bo. fi. remotionemq́ꝫ cauſarũ propter quas id fuit ab initio inſtitutum. De quo, ex illo uidetur om nino inexcuſabilis, quia prioribus addidit, peti- tionẽ hæreditatis,& ex ſtipulatu, pro re uxoria: quaſi ad participandum priuilegium iudiciorũ bo.fi.quod tamen nullum ſupererat proprium: nec ullum in tota illa.l.una.C.de rei uxo.actio. ualuit enumerare. Sed reſpondebit fortaſſe pro Tribuniano aliquis, hoc uoluiſſe illum dicere. Eſſe uidelicet actiones quaſdam, bo.fi.dictas, quæ inueniuntur determinatæ pariter ad non- nulla, undecunqꝫ ipſis cõpetentia, æque tamen cõmunia, quę ſimiliter ipſis, ex ſtipulatu actioni pro re uxoria,& hæreditatis petitioni, uoluit cõ munia fieri. Sed hoc ab ipſius Tribuniani mẽ te uidetur longe diſtare, ſi uerba ſunt mentis no tę. Præterea, quæ nam hæc eſſent communia,& an omnibus, quæ bonæ fidei dicuntur eadem,& illa ipſis ſolis, uel ſimiliter etiam aliis, & quam ob cauſam ſingulis ſingula cõpeterent, fuiſſe uel ſemel exprimendum, quod cum negligenter omiſerit, hinc tantas ad nos tranſmiſit perple-

xitatis,atq; obſcuritatis tenebras.

❡ Hæc hactenus meis argumẽtis nixus ſum comprobare. Sed non quieſcit animus,niſi omnia ferè,Accurſii,atq; aliorum. Doc.uerbis confirmauero. Dixi bo.fidei nuncupationem non facere differentiam ſpecificam. ſed eſſe actionibus ipſis poſterius quoddam additamentũ:per quod ſignificatur latius in illis Iudicis officium. hoc idem admittunt omnes itidem eſſe in arbitrariis,*uolentes quod arbitraria illa nuncupatio,non faciat ſeparatam ſpeciem,ſed ſit adiectio quædam appellatiua, remanentibus nihilominus propriis actionũ, & nominibus,& naturis. ſicuti dixi de actione de peculio,& ſimilibus. Significare autem dicunt in arbitrariis adiectionem ipſam,tributum eſſe iudici arbitrium,ex bono,& æquo, ſecundum cuiuſq; rei,de qua ſit actum,naturam æſtimandi,quemadmodũ actori ſatiſfiat. reſtat ergo ſola inter nos differentia: quia quod ego in arbitrariis quoq; recipio:id in bo.fidei iudiciis ipſi non admittunt. quod & ſi per antedicta uideor mihi ſatis comprobaſſe,at tamem ipſorum teſtimonio clarius reddam. pẽdet autem ex uero intellectu.d.§. actionum.
† &.§. præterea. inſt. de actio. uidelicet, an ibi 10
una tantum,& ea trimembris, ponatur diuiſio. quod actionum quædam ſint bo. fidei, quædã ſtricti iuris. quædam arbitrariæ. an uero duæ ſint diuiſiones. una qua ponantur quædam bo, fidei.

*Vt ꝑ Bar. et doc.in.l.in bo. fi.in princ.ff. de eo q̃ cer. loco. & oẽs in. §. præterea quaſdam inſt. de actio.

fidei,quædam ſtricti iuris, altera qua ponantur, quædam arbitrariæ,quædam nõ arbitrariȩ.glo.i. in.§.præterea.refert quoſdam antiquiores uoluiſſe trimembrem eſſe diuiſionem,ſed ab illis receditinepta ſane ratione, uidelicet, quia prior bo. fidei,& ſtricti iuris actionum diuiſio perfecta eſſet,& immediata, ſcilicet turbauit credo hominẽ, quod non ab initio tria ſimul ipſa membra ſunt enumerata, quod quædam eſſent bonæ fidei,quædam ſtricti iuris,quædam arbitrariæ.ſed expoſitis prioribus,& illarum naturis, additur. Præterea quaſdam eſſe arbitrarias,&c.Sed ne,quod in aliis reprehendere ſoleo inani multiloquio rem faciã obſcuriorem,ponam uerum(niſi ego quoq; fallor)germanumq; Tribuniani ſenſum,quem exiſtimo(contentioſis quibuſdam exceptis) omnibus placiturũ,ita ut unicuiq; pateant etiã reſponſiones ad antinomias,& uaria diuerſorũ obiecta, quæ nec pauca nec leuia ſunt in hac materia.per doct.in.§.actionum.&.§.in bo.fi.&.§.præterea. poſita.quamobrem interdum aliqui fatentur ingenue ſe malle diſcere quam docere.* Verus igitur,& planus eſt ſenſus,quod actionum quædam ſunt bo.fidei ueluti ex empto,uendito,&c.in quibus libera poteſtas permittitur iudici ex bono & æquo æſtimandi quantum actori reſtitui debeat: quædam ſunt ſtricti iuris,in quibus, uidelicet ea libertas iudici nullo modo permittitur, quædam præterea ſunt arbitrariæ,in quibus quemadmodũ

*Vt Iaſ.ibi.

actori ſatis fieri oporreat, pendet non ex ſola actionis natura, ſed ex iudicis arbitrio, nec tamẽ libero, qualis eſt illa in bonæ fidei iudiciis libera poteſtas, ſed quaſi conditione quadam coarctato, niſi is cum quo agitur actori ſatisfaciat. ueluti rem reſtituat, uel exhibeat, uel ſoluat, uel ex noxali cauſa ſeruum dedat. & tantum intereſt inter utrunq; arbitrium, & inter ipſas bonæ fidei, & arbitrarias actiones. Scio nihil eſſe tã diſerte, & clare conſonans, quin ſi permittatur quocunq; libuerit flecti, ac torqueri, uideatur repugnare: atq; ideo non defuturos, qui etiam hunc ſenſum in dubium reuocent. Sed de uero, iudicium ſit bonorũ, & iuſtitię, magis quã cauillatiuncularũ Conſultorum. certe trimẽbris illa diuiſio, niſi per merã calumniã negari non poteſt. maxime cum prius facta ſit ab Vlpiano, in. l. in fidei commiſſo. ff. de uſur. ibi. in his quoq; iudiciis, quæ non ſunt arbitraria, nec bonæ fidei. Scio pręterea quã ſubtiliter conentur doct. oſtendere aliis modis diuerſum eſſe in bonæ fidei actionibus, ac in arbitrariis, Iudicis officiũ. quod ſit nec ne uerum, non dico: certe utile non eſt, ſed maxime pernicioſum: quẽadmodum ſunt cunctæ ſimiles ſubtilitates, ſeu potius laqueoli, & inſidiæ. Nã quæ, malum, iniquitas eſt, ignorantia iuris neminẽ excuſari, & tamen illud tam prolixis cõmentationibus, tã difficilibus, atq; arduis quæſtionibus, ſubtilitatibus, diſtinctionibus, ſubdiſtinctionibus, ęnigmatibus, & nodis ob

uoluere, intricare, obſcurare, atq; ſuffodere. ut neq; à peritisſimis erui, ſciri, diſſolui, ac intelligi posſit? neq; de ullo ferè iuris articulo inter ipſos etiam Iuriſconſultos conueniat? Æquius profecto, & iuris doctoribus, ideſt (ut credi uolumus) prudentibus, & bonis uiris conuenientius, eſſe, ſi (iã quãdo leges ſunt ueluti quædam regulæ ad quas unuſquiſq; debet actiones ſuas accommodare) conaremur eas apertas, faciles, & paucisſimas reddere, ut ſcirent aliquando homines quomodo ſit ſibi uiuendum, nec id tum propter obſcuritatem maiori ex parte ignorarent: tum propter multitudinem, & prolixitatem eis excideret. Sed huius mali culpa eſt fortaſſe magis inertiæ Principum ad ſcribenda...

11 ¶ † Reſtat ut uideamus, an & illud non ſit uerum, quod dicunt Doc. præter enumeratas in d. §. actionum: omnes alias eſſe ſtricti iuris actiones, quod uidetur errorem duplicem continere. Vnum quia præter ibi enumeratas aliæ ſunt nihilominus bonæ fidei, alterum quia ſunt quædam non bonæ fidei, nec tamen ſtricti iuris, ſicuti ſunt arbitrariæ, quod ſuperius Vlpiani & Tribuniani authoritate probatum eſt. Quod autem imperfecta ſit enumeratio illarum quæ bonæ fidei dicuntur, ut omittam alias de quibus Doct. diſputant, præterea actio præſcriptis uerbis, quæ pro precario concedebatur: * & quas ex fiduciis competiiſſe dicit Cicero: negari non poteſt, *l. ii. §. i. ff. de prec.

quin bo.fi. nec ſint tamen ibi enumeratæ. Et ſi (quod ad fiducias attinet) dixerit quis pro illis poſuiſſe Tribunianum actionem depoſiti & pignoratitiam, cum non ſit incognitum fiduciam tum pro pignore accipi, tum pro depoſito, ut proba.ex pluribus locis reſponſorum Iulii Pauli ſub titu.de depoſ.& de lege commiſſoria.& ex eo loco Cic.in oratione pro A. Cæcinna.ubi æque turpia & infamatoria dicit eſſe iudicia, ſiquis per tutelam,aut ſocietatem,aut rem mandatam aut fiduciæ rationem fraudauerit quempiam, certum ſiquidem eſt præter tutelam,mandatum, & ſocietatem,non eſſe niſi depoſitum ex quo infamia dānato irrogetur,tamen præter pignus & depoſitū; ſignificat etiam fiducia (Boetio authore) omnem contractum per quem alicui res aliqua ea lege mancipatur, ut mancipāti aliquādo remancipet. ſic dicta, quia reſtituendi fides interponitur, ita quod ultra pignus & depoſitum,complectere poteſt uenditionem ſub reuendendi lege factam, & quicunq; ſint alii ſimiles contractus.& etiam fidei commiſſarias hæreditates: niſi quod tempore Cic.non dabātur iudicia de fidei commiſsis,*nec ullo uinculo iuris,ſed tantum pudore illorum continebantur,quorum fidei reſtitutio eſſet commiſſa.Credendum eſt autem Ciceronē in loco prius citato, non ab re plurali numero, fiduciis eſſe uſum:ut,uidelicet,omnes eius dictionis ſignificatus complecteretur.*Nec eſt inſolitum,ut huiuſ

Fiducia

*Vt inſt.de fidei cō.hær. in princ.

*ut no.l. filius fa.ff.de libe.et poſth.et prob. inſt. qb. alien. licet.

modi enumerationes uſq; ad unum non ponantur. Non erit igitur ualidum ab hac enumeratione argumentum, niſi affirmatiue, cũ appareat nõ eſſe omnes actiones ſufficienter enumeratas, & omnino debile, ac periculoſum eſt ſemper huiuſmodi argumentorum genus: niſi ſi quibus in caſibus* inueniamus legiſlatores illis eſſe uſos.

*ut in.l. patre furioſo.ff. de hic q ſunt ſui uel ali.iur. et. l.obli.ferè.§. placet de uer. oblig.

12 ¶ †Poteſt ex ſuperius dictis etiam diſpici, qualis ſit celebris illa Baldi doctrina in.c.i. extra de plus petit. ita dicentis. Ego puto quod de æquitate canonica, omnes contractus mundi ſint bonæ fidei: non dico quantum ad titulum actionis, ſed quoad mentem, & ſubſtantiam intentionis: & ideo ſi dolus dat eis cauſam, inter alias non contracturos, quod contractus ſit nullus ipſo iure. quia Deus qui regulat & regit omnia, reſpicit cor hominis, & in iure canonico non memini notaſſe in textu aliquo differentiam ſubſtantialem inter contractum bonæ fidei, & ſtricti iuris. Hactenas Bal. quem ut alii partim reprehendant, partim defendant per te bene noſti. Ego uero etſi omnis antiquitatis ſum admirator, continere me hoc loco non poſſum, quin ab inſtituto parumper digrediar, tanta rei indecentia commotus, quãdo & ipſum Baldum adeo inſulſam uideo ſententiam protuliſſe: atq; in re tam inepta ſibi non deeſſe defenſores. In omnibus certe, qui de iure intra quingentos annos ſcripſerunt, eſt ubi eruditionem, ubi diligentiam, quam nemo exactam

adhibuit,& ubi,non dico plenam,ſed(ſi excipias Innocentium & Bartholum) mediocrem etiam legalium principiorum notitiam deſideres, cuius etiam mali cauſam,ſi eſſet hic aptus locus, dicere poſſem.ſed Baldus ille ciuis tuus,ut certe ingenii ſingulari præditus acumine, ita fuit omnium in recognoſcendis ſuis ſcriptis negligentisſimus. plura quam quiuis alius ſcripſit,ſed ea nulla elegantia,nulla eruditione,nulla boni ordinis diſpoſitione,nulla prius dictorum memoria, barbare, confuſe,atq; ſæpisſime ſecum pugnantia, & omnino ſine ulla principii ratione , utcunq; in buccam uenerunt,effutiuit,oportunam ſemper, cum ſuis oppoſite atq; obtorte dictis, occaſionem calumniæ ſycophantis omnibus præſtans, quod ut ex infinitis penè aliis,ita uel ex hoc uno de quo agimus loco nemo non uidere poteſt . Nam ut omittamus,quod nihil pro ſe citat,& in eo quod ultimo loco dicit,habet contrarium textum, & ſemet ipſum ibi.in.c.cum uenerabilis.extra de except.ubi approbatur permutationem inter contractus bonæ fidei computari, & quod communi errore ductus putat eadem ratione dici contractum,& actionem bonæ fidei,quodq; differentia bonæ fidei,& ſtricti iuris actionum adhuc duret, & ſit ſubſtantialis.& quod uigeat imaginaria illa nullitas ex dolo dante cauſam contractui. Præterea illud quod principaliter intendit,omnes contractus de canonica æquitate eſſe bonæ fidei

quoad mentem & ſubſtantiam intentionis, ſuos etiam habet errores. Et primum quatenus ſuppo nit aliam eſſe canonicam æquitatem, ab æquitate ciuili, bono uiro exciderat è mente ſemetipſum *alibi ſcripſiſſe prout uerum eſt, & nos alio loco probaturi ſumus, quod æquitas non eſt niſi una & ſemper eadem. Quod autem omnes contractus ſint bonæ fidei etiam de iure ciuili, quatenus, uidelicet requirunt carentiam doli & fraudis, & per conſequens ut adſit bona fides, quæ dolo eſt, & fraudi contraria, neminem eſſe puto qui dubitet. Sed quin ſint contractus aliqui per excellentiam aliquam bonæ fidei nuncupati: nec propter titulum actionis ſolum, ſed ex ipſa contractuum illorum natura, neq; ipſum Bal. ſi adeſſet defenſurum credo, cum oppoſitum ſit certum, & nos ubi de principiis contractuum diſſeremus, aperte demõſtraturi ſimus. Sed ne uidear uoluiſſe in Bal. inuectiuam componere, finem facio, concludens illius (quæ ſuperius eſt recitata) ſententiam, nullius eſſe momenti. conſuléſq; ſcholaſticis diſcipulis, & Doctoribus, ſed iudicibus præcipue ut legẽdo Baldi ſcripta, caute procedant, neq; illi ſoli credant, alioqui ſæpiſsime & ſe deceptos, & alios decepiſſe conquerentur. Quod uerum eſſe apparet præcipue ex ipſius Baldi in Decretales Cõmentario: ubi (teſte etiam Alexandro in. l. quod meo. col. iii. de acq. poſſ.) dicit multa mirabilia & ſingularia, ſine legibus & rationibus, & ſæpenume-

*In. l. ſi defunctus. C. de ſuis & legit.

lectio Baldi caute fienda.

ro fallitur in allegando. His ita determinatis, uidcor mihi iam ad illud, quod quęſiuiſti, poſſe opportunius reſpondere.

13 ¶ † Diximus. l. xii. tab. ita fuiſſe conſtitutum, ut certum id quod intenderetur in iudiciis exprimi deberet, cuius conſtitutionis conueniens recepta tranſgresſio, cauſam dedit bonæ fidei iudiciis appellandis: atq; huius tranſgresſionis ratio nobis reddenda eſt. Sciendum eſt autem duplicem in petitionibus certitudinem requiri: unã rei geſtæ, ac conuentæ: de qua dicendum erit inferius: alteram ſummæ, ſeu rei, quam præſtari oportere intenditur, & de qua nunc ſumus dicturi.

14 ¶ † Igitur cum pręcipua optimi cuiusq; legiſlatoris intentio ſit, ut ſine querelis & litigiis, in pace, ac quiete, ſocietas & amicitia inter ciues conſeruetur, proxima uero, & ad ipſam priorem accedens, ita per leges remp. ordinare, ut ortæ quandoq; diſſenſiones & lites, ne latius ſerpant, quam celerrime decidantur. Ad hoc reſpicientes ferè omnes, iure iurando iudices adigunt, ad pronunciandum ſententias, & de ſumma, ſeu re alia petita certas, & de condemnatione uel abſolutione ſimplices, quod & hodie locum apud nos habet, * & olim apud antiquos uiguit, ita ut duabus tantum literis. A. quod ſignificabat abſoluere, uel. C. quæ nota erat condemnationis, ſententias ſubſcriberent poſtquam de cauſa liquebat. nam antea rogati ſententiam dicere, ſubſcribebant. N. l. ideſt non liquere.

*Inſt. de acti. §. curare. & ff. de re iud. l. i. et. C. de ſent. quæſi. cer. quãti p totũ titu.

quere.*atq; ita iurabant.

Quod ſi iudicibus aliter eſſet permiſſum, multi- plicarentur litigia, cum præter rem cõtrouerſam, ipſa quoq; ſententia efficeretur litigioſa, eueniretq; contrarium intentioni legiſlatoris. Hoc principio moti.x.uiri.ll. ferendarum, imitantes optimos quoſq; aliarum ciuitatum legumlatores, arbitrantes uix poſſe iudices proferre ſentẽtiam certam, niſi certum eſſet petitum, conſtituerunt
15 certum eſſe petendum. † Non tamen adeo fuerunt inconſiderati, ut non cogitauerint, futuros qui diuerſis rerum circunſtantiis impediti certum petere non poſſent, quibus erat prouidendum. Igitur ut his proſpicerent, nec tamen cogerent iudices ad peierandum, permiſerunt ut qui mallent, liceret arbitrum adigere, non ex neceſſitate certũ, ſed quantum melius æquius appareret ſibi dari oportere, illud petendo, ita ut incertæ eiuſmodi lites, ex compromiſſo deciderentur. proinde iudicium erat pecuniæ certæ, arbitrium incertæ.*Sed non obliti eius, quod præcipue intendebat, uidelicet, ut abſcinderentur cauſæ litigiorũ. qualiſcunq; per eos arbitros pronunciata eſſet ſententia, non permiſerunt appellari, atq; alios Iudices ea de re poſſe adiri. nec fuit hæc litigatoribus iniuſta lex, quandoquidem non hunc, uel illum ſibi arbitrũ eligere lex eos cogebat. hos ergo quorum ſententiæ initio ſtare non cogebantur: ſi ſponte delectos iudices fecerant, iam æquum erat boni con-

*Vt in.l. Pomponius. in fi. ff. de arbi. et. l. Pompon. ff. de re. iudi.

*Ci. pro Roſc. Cõ.

ſulere, quæ illi decidiſſent. Voluerunt prętereà .x. uiri dicta eadem ratione, ut ipſi quoq; arbitri, qui non cogebantur inuiti arbitrium recipere, ubi ſemel in ſe illud recepiſſent, cogerentur ſentētiam dicere: ne alioqui deciperentur, qui eos, quaſi uiros bonos inter ſe diſceptatores elegiſſent. * Verum† quia uſus docuit, arbitris mitius, ac mode- 16
ratius agentibus, ab ipſis litigatores, ferè ſemper minus quam animo concepiſſent, & re uera deberetur, conſequi, atq; propterea, formidantibus hominibus rerum ſuarum detrimentum, ſicq; ad incundos contractus, & cautius, & difficilius procedentibus, ratior erat communicatio commerciorum, quæ ſola ferè ciuilem, & congregauit ab initio, & continet ſocietatem, Hinc. (quod antea .l. xii. tab. in tutela exceptum erat) nulla certa lege, ſolo uſu inualuit, ut ex contractibus ad humanam uitam magis neceſſariis, & frequentioribus, ſi quid uerbis aut literis ex pacto, uel ſtipulatione adſtrictum non erat, & difficilis eſſet eius certa expreſſio, id nihilominus incerte peti poſſet, tanquam ex bona fide creditum.

l. ii. ff. de rec. arbitr.

¶ Eſt ergo perinde atq; ſi quis ita diſtinguat. Prouocantes ad iudicium, qui ſcriptis, ſeu alias expreſſis pactionibus intentionem ſuam fundare uoluerint, ii quoniam ſibi præcauerunt, iam non indigent legis communis auxilio. * Nam quemadmodum lex (diuino Moſe, ac Papiniano teſtibus) * eſt communis reip. ſponſio, ita (ſi-

**ut no. in. l. fi. C. de pac. conuent. & l. maritus. C. de procu.*

**Deu. c. xxix. & l. i. ff. de legi.*

cut aiebat Lycophron ſophiſta) pactum inter priuatos eſt fideiuſſor inuicem iuſte agendorum : tales igitur ſatis habere debent, ſi quæ ſibi præcauerunt, ea præſtentur, quæ quoniam ſunt expreſſa, oportet uel ex ſe certa eſſe, uel à iure certam habere interpretationem, * quibus adimpletis, abunde uidetur fidei ſatisfactum, quam, quia fiat quod dictum eſt, appellatam crediderũt. * Qui autem uel ſimpliciter cõtrahentes ſcriptis, & uerbis, aut omnino, aut non uſq;quaque ſibi præcauerant, neque ſuæ tantummodo cautioni fidentes, ſed etiam ex publicæ legis, aut communis uſus prouiſione tutelam ſperantes, iudicium intenderent : iis non aliquo modo ſtricta, ſed bona ideſt ſimplex, & abſoluta fides præſtari deberet, qua intercedente non ſolum à dolo & fraude, ſed etiam à reticentia, ſimulatione, ignorantia, ſimplicitate, errore, uiciis rerum, & demum undiq; indemnes * redderentur, reciperenturq; ab ipſis petitiones etiam incertæ, præſcripto antiquæ formulæ additamento, quod dictum eſt Verum quia uſus hic erat contra legem ſcriptam, non ita paſſim, neq; ſimul in omnibus actionibus, ſed quaſi per gradus quoſdam eſt receptus. primum in tutelis, fiduciis, ſocietatibus, & mandatis, quatuor ſiquidem iudiciis ſummæ æſtimationis, & pœnę capitis, ex quibus damnati notantur infamia. His deinde, addiderunt iudicia empti & uenditi, locati, & conducti, quibus uitæ

*ut. notat in. l. ueteribus. ff. de pac.

*ut. Cice. libr. offi. i.

*d. l. quæro. et l. ſi tibi domũ. §. i. ff. loca.

ſocietas maxime continetur, quibus acceſſerunt
depoſitum, commodatum & reliqua de quibus
ſuperius eſt dictum, excepta rei uxoriæ actione,
ac illius loco ex ſtipulatu,& hæreditatis petitio-
ne, quæ non ex ſolo uſu, ſed certis legibus di-
ctæ ſunt bonæ fidei. hæ,uidelicet ex Iuſtiniani le
gibus,actio uero rei uxoriæ ex ſen.†conſulto,pro 17
pter Carbilianum diuortium edito,anno ab Vr-
be condita. D X X I I I.*cum antea non dare-
tur pro dote actio,tantum abeſt,ut actio dotis ſit
de iure gentium,quod doctores nonnulli uiden-
tur ſenſiſſe.*Sed poſteriores æquitate ſuadente
admiſerunt incertas petitiones,in aliis quoq; iu-
diciis,quæ licet doctores nonnulli ſolitis ſubtilita
tibus deduxerint in regulas,& regularum limita
tiones,& temperamenta plura.†tamen amãti ſciẽ 18
tiam complanare,ac peruiam, & facilem reddere,
ſufficiet ſimpliciter dicere,quod ubicunq; actor,
ſeu obligationis,& rei,cauſæ'ue natura, ſeu facto
aduerſarii,ſeu alias quacunq;(probabili tamen)
cauſa ſit ambigens:tunc admittatur incerta,& al-
ternatiua etiam petitio. Si Doctorum regulas,&
limitationes conferas, omnia comperies ad hoc
quod dixi commode reduci. eſt autem hæc non
mea,ſed prudentisſimi Innocentii doctrina,* quã
& Hoſtienſis, & alii cõprobarunt. Qua in re om
nes liberaliores fuere,quia uiderunt ſententiam
nihilominus certam proferri poſſe ſuper incerta
petitione,ſiquidem ſufficit animum iudicis ex pro

*A. Gellius li. iiii. cap. iii.

*In l. eas. ff. de cap. diminut.

*In c. cõſtitutus. de reſtit. in integ.

bationibus deductis certũ reddi. Vnde amplius uoluerunt, quod ſemper ubi reus nihil obiicit, & de incertitudine petitionis non excipit, iudicium ualide procedat.* quaſi certitudo illa relinquatur ſolummodo ipſius rei commoditati, ut poſſit deliberare, an uelit cedere, uel cõtendere. cum iudex aliunde certus effici ualeat: quod ſemper curare debet, quoad poſſit.* Poſſe autem (ut aiebat Pythagoras) prope neceſſitatem habitat: itaq; non ſubſiſtit ſententia incerta, etiam ſub prætextu bonæ fidei, ueluti quod bona fide debes ſolue.*

Vt not. in. l. ſi. C. de ann. exc. & in. l. i. ff. de ædcn.

ut. d. §. curare. inſt. de act. & extra de re iud. c. cum Bertoldus.

l. ſi. C. de ſen. quæ ſi. cer. quãti proſt.

¶ Vidimus qua principii ratiõe lex. xii. tab. uoluit in petitionibus, & in ſententiis, certum exprimi. Vidimus quomodo poſteriores conſiderantes rationem in ea parte non eſſe neceſſariam, quod. l. xii. tab. in arbitriis omnium negociorum admittebat, ipſi uſu in illis tantummodo iudiciis, quæ bonæ fidei nuncupata eſſe diximus, ut incertæ petitiones reciperentur introduxerunt, quod & ipſum à ſuo eſt repetendum principio.

19 ¶ †Antiquiſſimi quidam legumlatores (ut refert Ariſt.) adeo uolebant per omnia, ciuilem ſocietatem ſimilem eſſe ueræ amicitiæ, ut in ſingulorum etiam commerciis, lege publica uetarent, ſponte actorum contractuum iudicia reddi. arbitrantes oportere unumquemq; contentum eſſe fide illius, cuius fidem cõtrahendo ſequutus eſſet, qui, ſi cum poſſet ſponte non redderet, non eſſet cogendus inuitus, quemadmodum ab amico

inuito,non eſt beneficium,neq; gratia extorquenda.Sed quia(ſecus quàm inſtituiſſe,uel potius optauiſſe de ciuibus ſuis uiſus eſt Plato) uſu compertum eſt plures improbos fidē fallere, atq; ideo cōmercia cōturbari,& intermitti,non audentibus hominibus,niſi Græca(quod aiunt)fide, de manu in manum cōmutare:ſicq; inutilem eſſe legem illam,tametſi aliter humaniſſimam,& honeſtam. Complures legumlatores,inter quos,& Romani, mediam quandam uiam eligentes, & amicitiæ imaginem,& commerciorum uſum retinere ſtuduerunt. huiuſmodi adhibitis temperamentis. Vt pro perſonis inter ſe ſtrictiori domeſticæ ſocietatis uinculo coniunctis, uigeat antiquorum ius illud,ne omnino iudicia dentur, imo neque naſcatur obligatio, neq; ſint contractus ualidi, cum permutatio non ſit inter eos neceſſaria. ueluti inter * parentes & liberos quos habent in poteſtate. alimentis ad quæ parentes tenentur, & certis aliis cauſis probabiliter exceptis. item inter dominos & ſeruos,interq; ipſos qui in eiuſdem,ſiue parentis,ſiue domini ſunt poteſtate.inter uirum & uxorem conſtante matrimonio, interq; pupillum & tutorem, quem patris loco lex habet. Certis uero perſonis propter honorē eius quæ adhuc ſit,uel olim fuerit,domeſtica ſocietas: dentur quidem iudicia, ſed petita prius uenia. ut liberis ſiue emancipatis, ſiue adhuc in poteſtate exiſtentibus, in cauſa alimentorum, & aliis

**ff.et.C.de in ius uo.l.lis nulla.ff.de iudic. & l.actiones. de act.& obl.*

in quibus eis iudicia dari diximus. & libertis,cō tra patronos,liberoſq; & parentes patronorum. contra certas autem perſonas non omnia dentur ueluti, ex quibus damnatos ſequatur infamia, *ut liberis & libertis contra parētes & patronos, & marito, ſiue eius hæredibus contra quondam uxorem,quæ aliquid ex rebus mariti dicatur amo uiſſe. Quoſdam etiam damnatos uoluerunt co gi amplius quam in id quod facere poſſint:*ue luti ſunt maritus,& ſocer ex iudicio dotis reſtituē dæ.item ſiquis cum parente,patrono'ue egerit,aut ſocius cum ſocio,iudicio ſocietatis,& ſiquis ex do natione ſua conueniatur. Tales igitur eatenus cō demnantur quatenus eorum facultates patiun tur, nec plus qui contra eos egerit conſequitur, quam facere poſſint. quod ſignum eſt quantum ipſis legum conditoribus curæ fuerit amicitia. cuius eſt proprium,non id omne,quod pro debito eſt exigere,ſed id tantum expoſcere,quod fieri po teſt. De aliis uero perſonis ulteriori ciuili iun ctos ſocietate,diſtinxerunt commerciorum ſpe cies, in abſoluta, & definita: Ex abſolutis atq; indefinitis & indeterminatis,quæ alias dicuntur ſine cauſa,neutra ex parte uoluerunt iudicium da ri,*ideſt neq; contra eum, qui aliquid pollici tus eſſet, ut illud traderet neq; contra eum, cui aliquid datum factum'ue eſſet,ut quicquam re penderet. niſi quod hic perinde atq; inter amicos, naturali quadā obligatione ad remunerandū cū

*C. de obſeq. pat. præ. .et. ff. de obſe. alie. l. licet. et de dolo. l. nō debet. & rerū amot. l. i.

*ff. ſol. mat. l. l. maritum & ſeq. & inſt. de act. §. itē ſi de dote. & §. pē. & de re iud. l. neſennius.

*l. cum indebito. §. fi. ff. de prob. c. ſi cautio extra de fid. inſtr. l. iuriſgentium in prin. et. §. ſed ſi in aliū et. §. ſed. cum nulla. ff. de pact.

abſolu

poſſit,teneri uidetur:quod ſi non præſtat, inuitus non cogitur.*Ex definitis uero comerciis, ideſt, quæ in rebus & preciis, atq; ex cauſis determinatis conſiſterent,ſiue re ipſa per traditionem de manu in manum,ſiue ad tẽpus,definitum eſſet, quid pro quo dari,ac reddi oporteret:quando ita contrahentes conſenſerant, non cenſuerunt, deneganda eſſe iudicia. Verum quia ex definitis huiuſmodi cõmerciis,nonnulla erant ad humanæ uitæ neceſſitates frequentius ineunda:& tum propter frequentiam ipſam,& rerũ perplexitatem ac uarios euentus tum propter hominum fallaciam, & difficile, & impoſſibile quodammodo erat ſemper in omnibus ſingulorum accidentia uerbis cõprehendere,ac definire:nec conueniebat præter intentionem inuitos quodammodo cogi ad donandum.receptum eſt uſu(quod antea diximus) ut in his iudiciis,quæ bonæ fidei dicta ſunt,qua deficeret definitio pacti priuati,ex publica ſponſione(quaſi tacite ita conuentum eſſet) unuſquiſq; plenam conſequeretur indemnitatem. * Donec C.Aquilius Gallus,Ci.Collega.& familiaris, dũ eſſet Prætor,conſiderans quod ſæpe dolo & fraude alterius,alter collitigantium,pręter id quod animo concepiſſet, ſaluis etiam contractuum uerbis & naturis,circumuentus & obligatus reperiebatur,& ſi tantummodo quod erat actum & definitum inſpiciebatur. huic ſimplicitas ſua damnum,illi malitia lucrum afferebat.naturali æquitate

*l.ſed ſi.l. ge. §. cõſuluit.ff. de peti. hær.l. ſi remunerandi & l.ſi uero non remunerãdi.ff.mand.

*l.itẽ q̃a.ff.de pac.

tate motus,ut ex omnibus contractibus dolo & fraudi parata eſſet uindicta,protulit iudicium de dolo malo,quod Cicero euerriculum malitiarum omnium appellat,ſub illa formula. * Quæ dolo malo,facta eſſe dicentur,ſi de his rebus alia actio non erit, & iuſta cauſa eſſe uidebitur, iudicium dabo. *ff.de dol.l.i.

20 ¶ †Neq; defuerunt,qui ab illo etiam, quod dictum eſt,de ferenda ſententia ſimplici,ſiue condēnatoria,ſiue abſolutoria,diſſentirent. Quandoquidem Hyppodamus legiſlator Mileſius antiquus rationem in oppoſitum retorquens,melius putauit eſſe,ſi iudices prout ſibi ex actis liqueret, partim abſoluere poſſent,partim cōdemnare,ne alioqui uere peierare cogerentur,ſimpliciter hoc aut illud iudicantes,cum tamen neq; hoc, neq; illud abſolute liqueret. Sed compluribus aliter eſt uiſum & hi argumento Hippodami reſpōdebant: quod lex non cogit peierare ſimpliciter condemnantem uel abſoluentem,ſi ſimpliciter ſit petitum. non enim qui abſoluit,nihil debere iudicat, ſed (exempli gratia)centum aureos non deberi,at ille peieraret,qui cum putaret tota centum non deberi,tamen condemnaret.arguebantq; inſuper ſecundum Hyppodami legem,non poſſe ſententiam non eſſe litigioſam,ſi iudex deberi quidem arbitretur,ſed non tantum,quantum petitum eſt. & hoc eo maxime,ſi plures iudicarent. Nam ſi actor centum poſtulauerit,iudicum autem unus

quinquaginta iudicet,alius plus,alius minus, aut alius quidem in totum,alius in nihilum condemnet,quis erit modus(aiebant) ſententiarum concordãdarũ? Romani.x.uiri,partim Hyppodami, partim ab ipſo diſſentiẽtium opinionem ſunt amplexati:Nam quatenus ad iudices attinebat,Hyppodami lex non placuit, in arbitris autem illam quaſi neceſſariam exiſtimauerunt:quia ſi coram eis incertũ petebatur,non erat certum in quo abſoluere,uel condẽnare deberent.Nec erat ipſorũ ſententia litigioſa,quoniam ex compromiſſo pactum erat,ne reclamaretur.finem autem concordandi ſententias plurium diuerſimode arbitrantium,fecerunt,decernentes ut ei ſtaretur in quod maior ipſorum pars conſentiret. itaq; ex tribus (puta)arbitris,unus quindecim,alius decem, tertius quinq; condemnet, quinq; præſtari debent, *quia in eam ſummam omnes cõſentiunt.Quod ſimiliter & in ſentẽtiis iudicum,primum in bonæ fidei iudiciis,deinde in omnibus his iudiciis in quibus in certas petitiones tolerari diximus, ſumma æquitate receptum eſt.reiecta,uidelicet, ratione qua uerendum eſſe dicebant, ne ſententia daret noui litigii occaſionem,quia non poteſt iuſte conqueri actor,qui petendo incertum,de ſummæ ſoluendæ definitione iudici poteſtatem fecit.Hac eadem ratione receptum eſt à poſterioribus ut etiam ſi certum petatur,corrigatur tamen petitio per conſuetam clauſulam, plus minus, ſaluo

*l.diẽ profer re.ff. de rec. arb.

iure calculi. & in proceſſu plus minusue probetur, de illo quod probatum fuerit, poſſit ferri *ſententia.

*l. publica. in ſi. & ibi Bar. ff. de poſ.

¶ Quod autem attinet ad certitudinem ſententiæ, nihil eſt immutatum, ſed remanet adhuc, ut quamuis incertum petatur, curare tamen debeat iudex, quoad poſſit, ex probatis, certus reddi: & ſentētiam proferre certā, tum ratione ſummæ, uel rei, de qua ex incerta petitione ſibi liquet, tum ut conformis petitioni, prima illa ſpecie certitudinis, de qua diximus nihil eſſe immutatum. Debet nanq; omnis petitio, ſi non numero & indiuiduo, ſaltem ſpecie certam, ac agendi expreſſam cauſam continere. atq; in his debet omnino ſententia eſſe conformis. ita ut ſi petitum ſit (uerbi cauſa) frumentum ex cauſa mutui, non pronuncietur ſententia, ſiue condēnatoria ſiue abſolutoria, de re alia, ut puta de pecuniis: neq; ex alia cauſa, ueluti depoſiti.*

*ut no. in l. 1. C. ſi. plu. una ſen.

21 ¶ †Ex dictis reſolui poteſt nodus, qui hactenus adeo torſit Doctores noſtros, ut pleriq; tandē cōcluſerint, nihil aliud quā uoluntatem antiquorū fuiſſe pro ratione. Cur (ſcilicet) nō ita dicta fuerint bonæ fi. iudicia alia præter ſuperius enumerata, & præſertim ex mutuo. & ſtipulatu. Erroris nanq; huiuſmodi cauſa fuit falſa ſuppoſitio, qua Doctores ipſi crediderunt datum fuiſſe bonæ fidei priuilegium, ſolummodo ad ampliāda frequētiorum contractuum commercia: qua propter

nõnulli ueluti Petrus Bellap. Io. Fab. & ipſorum imitatores, coacti fuerunt dicere, non ita exuberantem in his quæ relicta ſunt, fidem requiri. & præterea mutui contractum infrequentiorem eſſe, quam depoſitum, commodatum, permutationẽ, & alia eiuſmodi. qui dum hoc dicunt, indicãt non ſolum ius in quo uerſantur ignorare, ſed plane cõmuni ſenſu carere. Nam etſi neſciant, quod. * ll. xii. tab. tantę fuit curæ contractus mutui, & ne circa illum fides falleretur, ut eum atrociſſima pœna metuendum reddiderint. dum non ſolum uinciri, atq; addici obæratos creditoribus: ſed ſi plures forent quibus reus eſſet adiudicatus, ſecare ſi uellent, atq; partiri corpus adiudicati ſibi hominis permiſerint. idq; non ob aliud, quam ob neceſſariam ciuili ſocietati eius contractus frequentiam: ſaltem id non debuiſſent non cognoſcere, quod nemo tam rudis eſt qui neſciat, omnium aliorum frequentisſimum, & magis neceſſarium eſſe, pecuniæ, frugum, uini, olei, & ſimilium rerum uſum atq; commercium mutuaticũ, ad ſubſidiũ inopiæ temporariæ, quo communis hominum uita quotidie indiget, & amitteretur, ſi debitorum perfidia laxius poſſet eludere. immanis erat profecto pœna illa, niſi eo conſilio denunciata fuiſſet, ne ad eam unquam deueniretur, prout neminem unquam legitur fuiſſe diſſectum, tanti faciunt improbi contemnere leges atroci pœna munitas. at poſteriorum benignitas eo peruenit,

*ut refert Gellius lib. xx. et Quinti. li. iij. cap. viij.

ut etiam nequiſsimos Odoardos è cimeriis tenebris excitauerint, ad defendendum improbis prædam, ac tuendum perfidiæ impunitatem. Sed de his alibi dicendum. Stipulatio uero quomodo non eſt frequens, cum omnibus ferè aliis contractibus adiiciatur? Rei ergo ueritas eſt, quod uſus ille nuncupationis bonæ fidei, fuit quidem ad fauorem frequentium, & magis neceſſariorum con tractuum introductus, non tamen abſolute, cum contra legem ſcriptam introduceretur. ſed tantummodo ubi ex natura iudicii neceſsitas ad id cogebat, non ualente actore certum exprimere. quæ neceſsitas non erat in ſtipulatione, cuius uerba uel ex ſe ipſis: uel ex interpretatione iuris oportet eſſe clara.* ſimiliter & in aliis ſcriptis, aut aliter expreſsis obligationibus quod ſignificat Ci cero dum pro RoſcioCam. dicit. Adulteraſſe tabulas ſe negat, expenſum tuliſſe non dicit, cum ta bulas nō recitat, reliquum eſt, ut ſtipulatū ſe eſſe dicat: præterea enim quemadmodum certam pe cuniam petere poſſit non reperio. In mutuo uero propter naturalem eius contractus certitudinem priuilegio non erat opus.* oportet nanq; certam eſſe quantitatem rerum, ſiue pondere, ſiue numero, ſiue menſura mutuatarum. Et cum illarum dominium transferatur, quapropter omne quoq; periculum eſt accipientis.* & reſtituendum eſt idem genere, quod perire non poteſt,* uix contin git ut non certum ſit, id quod peti debet. quod ſi

*l. ſemp in ſtipulationibus. ff. de reg. iur.

*l. nummis. ff. de pos. l. in re mandata. C. man.

*l. pignus. C. de pig. act.

*l. incendium C. ſi cer. pet.

interdum contingat, de illo, quoniam eſt perrarũ, non curat legiſlator.

**ff.de bis qui no.in fal.l. i. inſt.de.pe.tẽ. lit. ∮.ex quibuſdã. & Ci. pro Roſ. cõ. et pro A.Cec. *l.i. ff.de conſti.pec.l.bonã fidẽ. C.de do.*

¶ † Sed difficilor eſt quæſtio.* Cur damnati iu-diciis tutelæ, pro ſocio, mandati, & depoſiti, noten-tur infamia: non autem ita damnati iudiciis mu-tui & aliorum contractuum, cum in omnibus æque graue ſit fidem fallere, & in omnibus æque bona fides exigatur? * & item altera quæſtio, quã à nemine adhuc propoſitam uidi. Cur (ſcilicet) ſi agatur iudicio depoſiti eo nomine, quod tumul-tus, incendii, ruinæ, naufragii'ue cauſa depoſitum ſit propter inficiationem creſcat actio in duplum

**ff.de poſ.l.i. ∮.merito & inſt.de act.∮. plane. & ∮. ſed.furti.*

*quod ſecus eſt in depoſito in alia cauſa, & in cõ-modato, precario, mutuo, ac cæteris ſimilibus? Huic quæſtioni reſpondet Ariſt. propoſito pro-blemate. Cur depoſitũ denegare, iniquius ſit quã mutuum? & poſt alias complures ultimam & ac-commodatiſſimam reddit rationem quam cõpro

**in.d.∮. merito.*

bat Vlpianus.* Quod qui ſuum deponunt, ho-minum uitantes perfidiam, fortunaq; laborantes aduerſa, plerunq; id faciunt: qui uero mutuant, pecuniis abundant, fortunateq; degunt. ini-quius autem eſt, iniuriam infortunato, quam fortunato intuliſſe, ea ratio cum æque ac in mutuo dante, ualeat etiam in commodante, preca rio concedente, ac ex alia quam infortunii cauſa deponente, quod ſcilicet, non ex neceſſita-

**ut in.d. ∮. merito.*

te, ſed ex copia & uoluntate procedit. * Videtur abunde ſatisfacere quæſtioni. quod magis confir

matur ex alia lege quã habemus. Quod ii qui re
licta ſacroſanctis eccleſiis,uel piis locis,legati, uel
fidei commiſſi nomine,uſq;quo in iudiciũ uocen
tur,dare diſtulerint,pariter, in duplum eius quod
relictum eſt condemnẽtur.*Placuit igitur Maio
ribus noſtris expediens eſſe Reip.ut maior ini-
quitas,atq; inſignior perfidia(quæ prope furtum
eſt) cohercerẽtur metu dãni maioris:*dupli, uide
licet,rei depoſitę ſoluendi,quod diuinus Moſes in
quintã ſolũmodo partẽ amplius reddi*uoluerat.

*inſt. de acti. §.item mixta et.§.ſed furt.
*l.inficiando. ff.de.
*Leuic.c.vi.

23 ¶†Prioris autem dubitationis,de infamiæ nota,
reſolutio,niſi ego fallor,ex alia ratione pẽdet, nec
ei conueniunt dictæ Ariſtotelis reſpõſiones:quæ
ſi bene conſiderentur,non magis procedunt in de
poſito,quã in commodato, & precario conceſſo,
nec ideo carpendus eſt Ariſt.non enim ipſe pro-
poſuit problema , de infamia inſequente damna
tum iudicio depoſiti.Sed de iniquitate, quæ ma-
ior eſt denegantis depoſitum,quam mutuum.ac-
cedit quod ſi uellemus rationes Ariſt. intelligere
de nota infamiæ oporteret ponere quæſtionem
non in ſolo depoſito,ſed etiam in tutela, manda-
to,& ſocietate.in quibus itidem ſequitur infamia
& in ipſis nulla ex Ariſt.rationibus poteſt accom
modari : nec alius eſt qui tentauerit nodum
hunc diſſoluere.Videamus igitur,an quæ mihi
occurrũt,probabiles ſint rationes.Vt (ſcilicet) il
lud mouerit Maiores noſtros:quia in cęteris iu-
diciis dãnatus prætẽdere poteſt inopiam uel aliã

quampiam neceſsitatem.in tutelæ uero, depoſiti, & ſocietatis iudiciis,ut quis damnetur, uix aliud poteſt,quam fraus & culpa intercedere. quando *depoſitarius ex eo ſolo tenetur,ſi quid dolo com miſerit,& ſi quid citra dolum contingat, non ei, ſed ſuæ facilitati,id imputare debet,qui negligen ti amico rem cuſtodiendam tradidit.*Et tutor nõ maiorem quam rebus ſuis diligentiam debet re- bus pupilli.Et ſocio ſimiliter ſufficit ſi talem dili- gentiam communibus rebus adhibuerit,qualem ſuis rebus adhibere ſolet:*& qui alias parũ dili- gentem ſocium ſibi adſumit:de ſe queri,ſibiq́ꝫ hoc imputare debet.Mandatum autem ſuſcipiens, & ſi ad exactiorem diligentiam teneatur,cum id fa- ciendum ultro recipiat,non poteſt uideri nõ do- lo uerſatus eſſe,ſi quod ſponte faciendum recepit, uel non fecerit,uel perperam egerit, cum iuuari amicos officio,non decipi oporteat*merito igitur nihil in eius adminiſtratione declinatum, aut ne- glectum,culpa uacuum eſſe poteſt.An uero, & il lud,quia quatuor hæc infamatoria iudicia, nõn mouentur niſi contra illos,qui ab initio ultro pla cuerint,& exhibuerint ſe,ut maxime amici,& pro bi uiri.neqꝫ enim alioqui ullus adeo demens exi- ſtimandus eſt,ut uel liberos ſuos tuendos, uel rẽ charam cuſtodiendam uel negotia gerenda man det cuiquam, aut cum eo ſocietatem ineat,quem credat uel improbum eſſe hominem, uel parum ſibi amicum.Nonne igitur inſigniter perfidus,&

*Inſt. q. mo. re contrahi. obli.§. præte rea.

*ff.de tut. & rat. diſtr.l.i. & de admi. tu.l.à tutori- *Inſt. de ſo- ciet.*.ul.

*d.l.in re mã data. C.mãd.

uere

uere proditor eſt, qui fraudat hominem à quo ipſe bonus, & amicus fuit exiſtimatus, cuiq; ipſe ſe talem exhibuit? At qui mutuo dat, qui commodat, qui precario concedit, beneficium quidem confert, ſed interpellatus. uulgatum eſt autem prouerbium. Non dari gratis, quod datur petenti. Quãobrem Iſocrates, ita commodiſsime (inquit) utemur amicis, ſi non ut ab eis rogemur expectemus: ſed pollicentes ultro ipſis in tempore ſuccurramus. Præterea mutuum & alia eiuſmodi, per ſe quidem & abſolute, neq; ut amicis, neq; ut uiris bonis fieri conſueuerunt: alioqui non hæc fierẽt, ſed donatio, quæ (teſte Ariſt.) conuenientior eſt erga indigentem amicum. Quo circa & ſeruator noſter Ieſus.*Modica (inquit) eſt gratia his qui mutuo dant ſperantes æqualia recipere. & Propheta.* Fœnerat impius, & non donat: iuſtus autem cum benignitate donat. Non multum eſt autem, ut interpellanti quis nõ audeat forte denegare, quanquã eius fidem nõ adeo probet. Ad hæc, nemo niſi indigens atq; ſaltẽ pro tempore inops, mutuo, cõmodato, aut precario petit: & quanquã grauatus rerum anguſtia deſperet poſſe reddere, attamen ob egeſtatem inſtantem, compellitur eſſe audax ad accipiẽdum. Quid? quod ueluti natura ineſt receptorũ beneficiorũ obliuio, & ſine uoluptate recordatio, quapropter & Thetis apud Homerũ,*non enumerat beneficia Ioui. & ut alio loco inquit Ariſt.*humanũ eſt ut debitores quidẽ

*Lucæ.c.vi.

*pſal. xxxviij.

*Iliad.li.i.

*Et hic.li.ix.

f

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nolint ſuos creditores eſſe:& creditorum,non ſit erga debitores amatio,ſed uelint eos ſaluos eſſe, ut ab eis recipiant quod debent.Itaq; non ab re diuus Baſilius, *Sumere(inquit)mutuo, initiũ mendacii,occaſio ingratitudinis,periurii materia. atq; hoc puto mouiſſe.x.uiros.II.ferend. ad ſtatuendum tam atrocem,quam diximus,pœnam cõtra debitores:difficilius nanq; abſterremur ab eo ad quod tum natura inclinati ſumus,tum neceſſitate interdum compellimur. Qua ratione etiam cautum eſt,ut mutui confeſſio, niſi poſt biénium non obliget.quia ſcilicet faciles ſunt homines ad confitendum propter neceſſitates.*Poſſumus igitur de his talem concluſionem facere.Quod etſi in omnibus commerciis bona fides exigitur, ita quod dum ad iudicium uenitur,& de facto contenditur,neceſſe ſit alterum litigatorum,ſi non id faciat obliuione,mentiri,atq; improbum eſſe.conueniens tamen eſt,ut magis atq; inexcuſabiliter improbus,deterioris ſit notæ. Quod ſiquis non de facto,ſed de iure,uel de calculo:aut ſi de facto non tamẽ ſuo,uel de ſuo probabiliter oblitus,aut errans ad iudicium ueniat,etiam aliquo ex dictis quatuor iudiciis damnatus,non incurrit infamiæ notam.hinc eſt,quod contrariis iudiciis damnati, non ſunt infames,*quia non de perfidia agitur, ſed de calculo,qui ferè iudicio dirimi ſolet.& conuenti,non actione,ſed condictione,tametſi tutelæ ſocietatis,depoſiti,aut mandati cauſa conuenian-

*In pſalmum. xiiij.

*l.ſi ex cautione & l.in cõtractib. et ibi Doc.C.de nõ num.pecu.

*l.furt.§.ult. ff.de his q̃ no. infa.

tur, non ſunt infames, *quia de pecunia, nõ de fraude agitur. & ſimiliter ſi ex compromiſſo diſceptetur, *Hæc habui quæ dicerem de principiis iudiciorum bonæ fidei.

*l. ceſſat de act. & obli.

*l. ex cõpromiſſo de his q no. infa.

¶Ex quibus & illud alterum quod intelligere deſideras, qualia nam ea ſint principia legum, de quibus tractare conſtitui: tu quidem & tui ſimiles facile perpenderis. Sed uereor fore, qui non ita ut tute dicis, collecturi ſint ex ungue, leonis magnitudinem: & multos fortaſſe, qui neq; ex tota pelle ualerẽt id æſtimare. præſertim cum generalia quædam præmonita, & præcepta, quæ conuenientia fuiſſent, ut horum animi ad faciliorem intelligentiam præpararentur, non appoſuerim, eo quod diffuſe dicẽda ſint in ipſo quod inſtituimus opere: hæc autem in tui potiſſimum gratiam ſcripſi, qui talibus non indiges, ab illis ergo interim dum integrũ opus emittamus, ſatis habebimus ſi ſaltem perſuaderi poterunt, ut credant, quem uiderint unguem, Leoninum eſſe.

¶Reliquum quod poſtulauiſti, ut dicerem, ad quem finem tendat labor hic meus, tradendorum legalium principiorum, quam'ue utilitatem ex illo prouenturam ſperẽ: haud difficilius (ut puto) ex dictis intelliges. Nẽpe ut ſaltem indicata per me uia, doctior aliquis perficiat artem, qua poſſimus aliquando eſſe, non Romani tantum iuris, ſed boni & ęqui, & iuſtitiæ conſulti, & ſicuti Geometræ, ubiq; ſunt Geometræ: Mediciq; ubiq;

Medici,nos quoq; non tantum apud noſtrates ſed apud omne hominum genus ſciamus de iure reſpondere. Tantum enim intereſt, ex indicibus, repertoriis,formulariis,& centonibus:atq; ex ueris principiis ſcire leges.

SEQVITVR TEXTVS TRIbuniani de quo ſuperius eſt facta mentio Inſtit.de actio.§.

Actionum autem quædam bonæ fidei ſunt, quædam ſtricti iuris.bonæ fidei ſunt hæ:ex empto,uendito,locato,conducto,negociorum geſtorum, mandati,depoſiti,pro ſocio, tutelæ, commodati pignoratitia,familiæ Herciſcundæ, communi diuidundo,præſcriptis uerbis,quæ de æſtimatoproponitur,& ea quæ ex permutatione competit,& hæreditatis petitio. Quanuis enim uſq; adhuc incertum erat,inter bonæ fidei iudicia,connumeranda hæreditatis petitio eſſet,an non:noſtra tamen conſtitutio aperte eam eſſe bonæ fidei diſpoſuit.Fuerat antea & rei uxoriæ actio una ex bonæ fidei iudiciis:ſed cum pleniorem eſſe ex ſtipulatu actionem inuenientes,omne ius, quod res uxoria antea habebat cum multis diuiſionibus in actionem ex ſtipulatu,quæ de dotibus exigendis proponitur,tráſtulerimus:merito rei uxoriæ actione ſublata,ex ſtipulatu actio,quæ pro ea introducta eſt,naturam bonæ fidei iudicii,tantum

in exactione dotis meruit,ut bonæ fidei ſit.ſed & tacitam ei dedimus hypothecam.præferri autem aliis creditoribus in hypothecis tunc cenſuimus, cum ipſa mulier de dote ſua experiatur,cuius ſolius prouidentia hoc induximus.In bo.fidei iudiciis libera poteſtas permitti uidetur iudici ex bono & æquo æſtimandi,quantum actori reſtitui debeat.In quo & illud continetur , ut ſi quid inuicem præſtare actorem oporteat:eo compenſato, in reliquum is,cum quo actum eſt,debeat condẽnari.ſed & in ſtricti iuris iudiciis ex reſcripto diui Marci,oppoſita doli mali exceptione,cõpenſatio inducebatur.ſed noſtra cõſtitutio eaſdẽ cõpenſationes,quæ iure aperto nnitutur,latius introduxit,ut actiones ipſo iure minuant,ſiue in rem,ſiue in perſonam,ſiue alias quaſcunq;,excepta ſola depoſiti actione,cui aliquid compenſationis nomine opponi,ſane iniquũ eſſe credimus:ne ſub prætextu compenſationis, depoſitarum rerum quis exactione defraudetur.Præterea quaſdam actiones arbitrarias,id eſt ex arbitrio iudicis pendentes appellamus:in quibus,niſi arbitrio iudicis is, cum quo agitur,actori ſatisfaciat:ueluti rem reſtituat,uel exhibeat,uel ſoluat , uel ex noxali cauſa ſeruum dedat,condemnari debeat.

FINIS.

PRAEPARATIO IN IVRIS CIVILIS INSTITVTIONES.

ANTONIVS MASSA IAcobo Corteſio. S. P. D.

Contenderunt à me,& tu aderas,altero ferè ab hinc menſe,communes illi tui,ac mei amici,ut forenſibus his quas uicinas uidebant feriis,iuris ciuilis inſtitutiones me ſibi expoſiturum promitterem. Cui muneri etſi me imparatum, ea potisſimũ de cauſa,uidebam,quod in defendendis amicorũ cauſis aliquot iam annis tecum uerſatus, ad ſcholaſtica hæc iuris quaſi rudimenta deſuetum animum reuocare,ac demittere,haud facile mihi poſſe uiderer:tam arctæ tamen neceſsitudinis uincula,tãtum apud me potuerunt:ut id me facturum receperim,quod uix præſtare poſſe confiderem:& eram,cum promisſi tempus aduenisſet,ut præſtarem conaturus. Cum ecce interim à Giberto Veronenſium Præſule,cui non poteram ſine piaculo non parere,uocatus,Vrbe diſcedere, & his ipſis iam ineuntibus feriis abeſſe cogor:Quid facerẽ? utriſq; uno tempore ſatisfacere non poteram,& tametſi huic omni laudis genere cumulatisſimo Antiſtiri erat,ut erat,parendum:illi non erãt omnino negligendi. Cum igitur me tandem collegisſem, & proficiſci ſtatui,& quantum anguſtia temporis concederet,aliquid ſuper ea re commẽtari: quod amicis ipſis ad iuris inſtitutiones ſine me, alióue ullo doctore percipiendas,non mediocriter conferre poſſet. At quoniã re peracta,uidebar mihi

nonnulla,& noua & ab aliorum opinione diuer ſa poſuiſſe:uerebarq; propterea,ne noua hæc cõmentandi ratio,aut inuidiam mihi aut contemptũ conflaret,ſi quando in aliorum quam noſtrorum amicorum manus perueniret,ne'ue ego me fortaſſe,& ſine riuali amarem,Bononiæ dies aliquot eo ſum conſilio commoratus , ut uiro clariſſimo And. Alciato,recentes has lucubrationes oſtenderem:quas ſi is probaret, cuius iudicium noram ſummum,ac candidiſſimum,quiq; iam omnẽ inuidiam ſuperauerit:ego quoq; tanti uiri iudicio cõfirmatus,non improbandas putarem. Quod cum fecerim,iſq; non ſolum probauerit,ſed mihi etiam ſuaſor,& auctor fuerit,ut illas audacter emitterẽ : eas tibi qui promiſſi teſtis fuiſti, quamprimũ mittendas cenſui. ut tu tua ipſis amicis manu in ſperatum munuſculum tradas,illi uero tãquam è tuo depromptum penu,tibi magis,quam mihi acceptum ferant. an non ferant? qui ſciant me,quicunq; ſim,ex te eſſe:quicquid habeam ex te habere. Illud autem uelim non ignores , me neq; tam confidenter,neq; tam celeriter fuiſſe miſſurum,niſi putaſſem hanc illis lucubratiunculam tanto futuram gratiorem, quanto minus ſperauerant ſe eius nouum libellum lecturos abſentis:cuius promiſſam iam interpretationem,deſperauerant præſentis. Vale.

Verona. X. Iulii. M.D.XXXVIII.

PRÆPARATIO IN IVRIS ciuilis inſtitutiones. Per Antonium Maſſam Galleſium.

IVRISPERITIAM affectantes amici fidisſimi, omnium primum ſcire oportet:quod leges, ad commune ſocietatis humanæ quietem conditæ:non ſolum ipſæ perſpicuæ,faciles, & ſimplices,ſed & quæ per eas facienda,uitanda ue iubentur,talia eſſe debent,ut ab omnibus facile fieri,uitariq; posſint. Quod ita eſſe,cum ex communi legumlatorum conſuetudine,qui deſcriptas nouas leges populo primum euulgari,deinde cuſtodiri atq; obſeruari iubent:atq; ita tamen iubent, ut permittant in ambiguitatibus,ſi quæ ex ipſis legibus oriantur potiorem eſſe conſuetudinis interpretationem, & ut ipſæ etiam leges tacito populi conſenſu per deſuetudinem abrogentur. tũ uero præcipue id animaduertere poteritis ex oratione ſapientisſimi diuinæ legis interpretis Moſis,ita populo præcipientis. Cumq; tranſieris Iordanem in terram quam dominus Deus tuus dabit tibi,eriges ingentes lapides,& calce leuigabis eos, ut posſis in eis ſcribere omnia uerba legis huius. & paulo inferius. Et ſcribes ſuper lapides omnia uerba legis huius plane & lucide. Et

demum. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neq; procul poſitum, nec in cœlo ſitum, ut poſsis dicere, quis noſtrum ualet in cœlum adſcēdere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus atq; opere cōpleamus? Neq; trans mare poſitum, ut cauſeris, & dicas, quis è nobis poterit mare transfretare, & illud ad nos uſq; deferre, ut poſsimus audire & facere quod præceptum eſt? Sed iuxta te eſt ſermo ualde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum. Quibus ex cauſis fit, ut plerunq; ignorantia iuris in iudicio excuſationem non habeat: puniantur'q; nihilominus, qui eorum aliquid ignorant quæ legibus continentur: quandoquidem ea ſcire oportet, nec ſunt difficilia cognitu, atq; etiam ut nemo ſit, uel legitimæ ſcientiæ imperitiſſimus, qui in ciuilibus conſultationibus non erubeſcat, ſi hæc neſcire uideatur: aut ſi deceptus errore iuris in damnum aliquod incurrerit: cum ob aliarum artium, ſcientiarum'ue imperitiam, nemo ſibi erubeſcendum putet. Romanis autem legumlatoribus magnæ curæ fuiſſe, ut omnis facilitatis modus legibus ſuis ineſſet, præter ea quæ dicta ſunt, demoſtratur ipſis etiam nominibus, & legum, quas ideo, quod in tabulis eburneis perſcriptæ publice legerentur, leges appellauerunt, & iuris, quod ciuile uocatum eſt, quaſi non paucorum proprium, ſed publicum & commune ciuium uniuerſorum. An uero id quod uolebant ſint adſecuti, uel ex illo

affirmari poteſt,quod communi omnium natio-num conſenſu receptum eſt,has leges præ cæte-ris humanitatis plenas & naturæ cōſentaneas eſ ſe:adeo ut à natura diſcedere uideantur,qui à Romanis legibus diſſident. Vnde conſecutum eſt etiam ut exteræ gentes pleræq; à Senatu,Populoq; Romano acceptis legibus immanitatem,barbariemq; exuerint,& Romani Imperii iugo iam dudum excuſſo, iiſdem,tamen adhuc legibus uiuant. atq; ut gentes nonnullæ, quæ non ex Romanis, ſed ex uernaculis ſuis legibus lites diiudicant: eos qui ibi Reſp.geſturi ſunt, ad perdiſcendas apud exteros Romanas leges mittant.ut hinc gerendæ Reip. rationem, & æquitatis uim ac naturam accipientes, de patriis legibus rectius iudicent.

Sed quoniam,ut plerunq; multa ex bonis initiis nata,hominum affectibus in immenſum proue-huntur:ita poſt leges.xii.tab.aliis multiplicatis legibus,& prudentium reſponſis,& interpretationibus:atq; illis nullo ordine diſſolutis & ſparſis(nō quidem rei natura,ſed ipſa confuſione id efficiente)uiſa eſt quandoq; ſcientia hæc & cognitu, & intellectu difficilis, adeo ut à paucis tantummodo teneretur,qui longo uſu eam ſibi peritiam cōparauiſſent: huic malo remedium adlaturus L. ille Craſſus Iuriſconſultus, & orator eximius, coacturum ſe (ſi per ocium licuiſſet) omne ius ciuile in artis præcepta: indeq; perfectam iu-

ris ciuilis artem, magis magnam atq; uberem quam difficilem & obſcuram effecturum, pollicitus eſſe fertur, docuiſſeq; modum, quo id efficeretur. Scilicet ut indicato iuris fine, primum illius genera notarentur, & ad certum numerum, paucitatemq; redigerentur: deinde eorũdem generum, quaſi quædã membra diuiderentur, omniaq; quæ forent generum uel partium nomina, definitionibus, quam uim haberẽt, exprimeretur. Quoniam autem Craſſo, ut id faceret, non contigit, ſucceſſerunt eiuſdem mentis boni uiri nonnulli, qui id efficere conati ſunt. quorum princeps Saluius Iulianus perpetuum compoſuit edictum, & quæ ſine ordine ſparſa erant, ad certos redegit terminos. Verum quia & illud ſatis immenſum erat opus: non defuerunt qui tale aliquid traderent, quale Græci iſagogicon appellant, ideſt quaſi introductorium, ad euidentiam quandam huius diſciplinæ: inter quos fuerunt præcipui, Æl. Martianus. Calliſtratus. Dom. Vlpianus, Florentinus, & T. Caius, Iuriſconſulti: demumq; Diuus Iuſtinianus Imp. qui ex antiquorum libris, has ſine quibus ius ciuile nemo aggreditur elegantiſſimas omnium, quæ de quacunq; alia ſint arte, inſtitutiones colligi, & componi curauit. Per quas non ſolum illa ex multarum legum confuſione proueniens difficultas ſublata, & priſtina facilitas reddita, ſed in commune omnibus conſultũ, dataq; uia eſt, ut quoad fieri poterat, ſemper deinde fa-

cillima eſſet iuris ciuilis intelligentia, & eius perdiſcendi labor citius abſolueretur. Quandoquidem per L.Craſſi monita, certiſſimum nobis indicatum eſt iter & ratio, quibus non in ueſtibulũ modo ipſum, ſed & in ſecretiora & abditiſſima iuris penetralia peruadamus. his, uidelicet, nobis inſtitutionibus traditis: in quibus & mira elegantia totius iuris ſumma continetur, & omnia quæ in pandectis & Iuſtinianeo Codice latiſſimis titulis explicantur, breuibus uerſiculis per certa capita comprehenduntur.

Tenemus itaq; (quod in librorum initio quæri ſolet) præcipuam auctoris intentionem, & operis finem: hoc eſt planè quæ utilitas ex ipſo prouentura ſit: Atq; perſpicimus falli eos, qui diſciplinam hanc in eundem difficultatis & confuſionis ſtatum, qui à L.Craſſo damnatus eſt, recidiſſe credunt: & exiſtimant facultatem hanc omnibus communem, omnibus neceſſariam, non niſi à paucis tantummodo iuris doctoribus intelligi poſſe: ideo quod multo plures extent nunc reſponſorũ, & commentariorum libri à iuris prudentibus, qui poſt Iuſtinianum ſcripſerunt, editi, quam ullo unquam tempore extiterint. Nam libros quidem multiplicari neceſſe eſt, natura nouas ſemper negociorum formas producente, & hominibus nouas ſemper fraudes, nouas fallacias excogitantibus. Sed multiplicentur licet infinite, cum conſtituta iam arte, & artis ipſius inſtitutio

nibus,omnia quæcunq; accedant, ad propria ca-
pita referri poſſint, & ſub ſuum certum locum
reponi,non eſt cur amplius nos confuſio deter-
reat, aut perplexitas, tantum opera danda eſt,ut
rationem, modumq́; artis tenentes ſuo ordine
procedamus,& ne qui artem docent, eam obſcu-
rent, dum ſeu inſcitia, ſeu forſan ambitione(ut
inquit Fabius) quo difficilius appareat quod pol
licentur:& ne ipſi parum multa ſcire uideantur,
à re & loco aliena miſcent: & nulla modi, ar-
tisq; ratione habita,confuſe omnia pertractant,
ne'ue qui diſcere cupiunt, intempeſtiue prope-
rent,extra rectam uiam palantes errabūdi.errent
nanq; neceſſe eſt,qui uiam ignorantes, nihilomi-
nus pergunt, atq; hoc maxime in ipſis inſtitutio
num elementis cauendum eſt: quandoquidem
uera diſcendi ratio eſt,ſi omnia ex quibus con-
ſtant principiis cognoſcantur,tanquam penetra-
lia ex foribus:ad fores autem principiorum erra-
re incipientes,quo pacto credendum eſt in ipſius
ſcientiæ penetralia ſubituros? Et hæc hactenus
de intentione auctoris,& operis fine, nimium for
taſſe multis dicta ſint.

PRoximũ eſt ad intelligẽtiæ perſpicuitatem, oſtendere totius operis ordinẽ, & diſpo-ſitionem. eſt hoc peculiare noſtris doctoribus, ut nõ ſolum in initio libri, ſed etiam dum legem quampiam ex-planare aggrediũtur, ante omnia ipſius legis ſummam breuiter exponant. ſcilicet, ut re ipſa paucis uniuerſa prius cognita, deinde ad ſingula intelli-genda deſcendatur. Sed antequam ego id fa-ciam, congruere uidetur ut admoneam. Titulos, qui diuerſis harum inſtitutionum locis interpoſiti ſunt, non eſſe ullo modo attendendos, ſed pe-rinde habendos, ac ſi ſcripti non eſſent, quando neq; ab ipſo Iuſtiniano, neq; ab alio recte ſentiente ſic diſpoſitos fuiſſe ueriſimile eſt: ſed potius à ſciolo quopiam, qui pandectarum & Codicis titulos imitari ſibi perſuaſerit, harum interea inſti-tutionum ductu & ordine, uel non intellecto, uel neglecto. Potuiſſet à me hoc tanquam fri-uolum prætermitti, præſertim cum iidem tituli, ad citius inueniendos citatos locos, non parum conferant, niſi cognouiſſem non modicos inde prouenire errores, atq; obſcuritatis tenebras of-fundi mentibus illorum, qui titulos ipſos non ſine ſuperſtitione attendunt, & maximo cum my-ſterio ex ordine collocatos: & proximos quoſq; inter ſe cognatos, connexoſq; eſſe credunt, non

perpendentes interdum dictorum ſeriem altius repetendam, & multorum locorum ſenſum, non ex proximis tantum, ſed ex ſuperioribus, & longe antea dictis pendere. Huius rei ſit exemplum titulus, qui eſt libro tertio. De obligationibus, quem non ualentes proximo. De ſucceſsionibus, abſoluto tractatui, continuare, & tamen aliquam eiuſmodi collocationis rationem tradere: & illum ſaltem proxime ſequentibus connectere uolentes, plerique omnes dixerunt. Quod expedito perſonarum & rerum tractatu: dicturus Imperator de actionibus, quæ tertia pars ſupererat tractandorum, antequam de actionibus ipſis, quæ filiæ ſunt, tractaret, uoluit præmittere quæ dicenda erãt de ipſarum actionum matribus, id eſt, obligationibus, argumentum fortaſſe non minus imperfectum, quam in parte falſum. falſum inquam, quia ſupponit expeditum eſſe tractatum rerum, quaſi obligationes, inter res non ſint connumerandæ. imperfectum, quia etſi obligationes pariant actiones aliquot, utpote perſonales, reales certe cũ ex his matribus non naſcantur, ab illis erãt ſeparandæ. At ſi non proximis animo infixi, altiorem Imperatoris diſpoſitionem obſeruaſſent, facile uidiſſent, quod cum in ſecundo libro, poſuiſſet. Rerum alias eſſe corporales, alias incorporales, quæ in iure conſiſtunt, ſicut hæreditas, uſusfructus, uſus prædiorum ſeruitutes, & obligationes quoquomodo cõtractæ: & expoſitis cæteris, ſolæ

reſtabant obligationes,ideo de illis tractat, ſicuti etiam prope finem tituli de uſu & habi.pollicitus fuerat. Item tituli,qui eſt libro Secundo. Quibus alienare licet uel non,ſane quam frigidam nonulli faciunt continuationem,dicentes. Superius dictum eſt de alienatione facta per uſucapionem uel per donationem,nunc dicit per quos alienatio fieri poſſit,& per quos non:cum nihil minus uoluerit Imp.quam enumerare ibi, qui alienare poſſint, & qui non poſſint. Sed quia circa eiuſdem libri principium.§.per traditionem.dixerat. Nihil eſſe tam conueniens naturali æquitati, quam uoluntatem Domini uolentis rem ſuam in alium transferri,ratam haberi. ad id declarandum,poſt enarratas traditionum & alienationum uarias formas:quaſi antedictæ naturalis æquitatis moderationem & temperamentum ponens,dixit:Accidere aliquando,ut quis dominus rei,alienare tamen eam non poſſit, ueluti(exempli gratia) maritus dotale prædium,& pupillus ſine tutoris auctoritate res ſuas, & econtrario, qui dominus non ſit, alienandæ rei poteſtatem habeat: ueluti creditor, qui pactus eſt,licere ſibi pignus uendere,ſi pecuniæ non ſoluantur.poſſem & alia multa ſimilia proferre, quæ prætereo breuitatis cauſa,& quoniam abiecta religione continuationis titulorum ad proxima,quilibet ea poterit animaduertere,prædicta autem poſuiſſe uolui,ne alioqui uiderer,in nullius momenti re impugnanda

h

tempus terere. Quod autem dixi neq; à Iuſtinia-
no, neq; alias recte, titulos illos eſſe diſpoſitos, ap-
paret primum ex ipſius Imp. uerbis, qui in prin-
cipio dicit tantum. In quatuor libros eaſdem in-
ſtitutiones partiri iusſiſſe, nulla de titulis facta mẽ
tione. Deinde ex crebris tranſitionibus quas in
locis capitalibus facit, implicans rerum tractãda-
rum, cum tractatis continuationem, ut ſequitur de
iure perſonarum alia diuiſio. Poſt hæc uideamus
de legatis. Nunc tranſeamus ad obligationes &c.
quæ ſuperfluæ fuiſſent, ſi apponendi erant tituli
capitibus ſingulis. Quid? quod ſi tandem ponẽ-
di erant, multis in locis ſuperuacui quidam poſi
ti, multi uero (ſi ad Pandectarum & Codicis titu-
los reſpicias) neceſſario ponendi, omisſi ſunt.
Nam quid opus erat diſtincte ponere, de lege fu-
ſia can. tol. & de succesſionibus bonorũ ſublatis,
quę fiebant per bonorũ uenditorũ &c? aut, his po
ſitis, cur non ſimiliter poſiti ſunt tituli. De iure
accreſcendi per manumisſionem ſublato, qui
dimiſſus eſt indiſtincta ſub titulo donationum?
& de latina, & de dedititia libertate ſublata, de qui
bus tractatur in titulo de libertinis, & in titulo
de ſucceſ. libert? Quid opus erat poſt generales
titulos, De tutelis, & de hæreditatibus quæ ab in-
teſtato deferũtur ponere, ibi de legitima agnato-
rum, patronorum, parentum, & de fiduciaria tute-
la, & Attiliano tutore, hic de legitima agnatorum
ſucceſſione; & alios qui ſequuntur? Cum ſub

aliis quibuſdam generalibus titulis,ſingulares il-
li diſtincti ſimiliter non ſint.ut(exempli gratia)
ſub titulo de legatis.In quo nullo alio adpoſito
titulo, tractatur, De liberatione, Dote, fundo
inſtructo, peculio, optione, & aliis ſimilibus re-
bus legatis,de quibus in Pādectis diſtincti ſunt
tituli? Præterea,ſi bene poſitus erat titulus.De le-
gitima agnatorum tutela.& illi proximus, de ca-
pitis diminutione. certe conueniebat omnia,quę
de legitima illa tutela dicenda erant,abſoluta eſ-
ſe,prius quam de capitis diminutione,diceretur.&
tamen poſt tractatum.De capitis diminutione,re
ſumit legitimam tutelam in.§.cum autē ad agna
tos tutela pertineat &c. Similiter ſi bene poſitus
eſſet titulus. De legitima agnatorum ſucceſ-
ſione. & qui illum ſubſequuntur. De ſenatus
coſ.Tertul.& de ſen.coſ.orphit. Videretur Im-
perator declarauiſſe in duobus illis ſequentibus
titulis non amplius de legitimis hæredibus tra-
ctari: quapropter conueniebat pariter abſoluta
eſſe quæcunq; de legitimis hæredibus erant dicē-
da,prius quā ad alia tranſiretur:& tamen clarū eſt
quod etiam in illis Senatus conſultis comprehen
ſi ſunt legitimi hæredes,ut de ſen.coſ.orphi.§.ſciē
dum autem.& poſt tractatum ſenatuſcoſ.orphi.
generaliter loquendo redit ad hæredes legitimos
in.§.ſi ex pluribus legitimis hæredibus &c. Sunt
& alia his ſimilia, quæ adducere poſſem, argu-
menta multa.quę breuitati ſtudens:omitto:ratus,

ex iam dictis unicuiq; probatum iri quod dico. Titulos illos (excepto quod eis, poſtquã ita uulgo recepti ſunt, facilioris diuerſorum locorum allegationis gratia, uti poſſumus) nequaquam eſſe attendendos, maxime ad effectum ambitioſæ illius continuationis: quandoquidem ita ſunt ſtudioſorum intellectui plurimum obfuturi. Atq; ut hinc ad propoſitum redeam.

Totius operis huius, hic eſt ordo, hæc diſpoſitio. liber j^i Instit. Quia Imperator abſoluto prologo, diſſectoq; iure in publicum & priuatum: & reſumpto priuato, quod ad ſingulorum pertinet utilitatem: illud tripartitum eſſe docet, collectum (ſcilicet) ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut ciuilibus. Quibus ſingulis, eorumq; partibus declaratis, & propoſito quod omne ius quo utimur, uel ad perſonas pertinet, uel ad res, uel ad actiones. Summã diuiſionem de iure perſonarum facit: quod omnes homines, aut liberi ſint, aut ſerui, liberorum autem aliqui ingenui, aliqui libertini. docetq; quibus ex cauſis, & quibus modis, hi è ſeruitute manumiſſi, libertini efficiantur. Deinde ponit diuiſionem alteram dicens quaſdam perſonas ſui iuris eſſe, quaſdam alieno iuri ſubiectas: rurſus earum quæ alieno iuri ſubiectæ ſunt, alias eſſe in poteſtate dominorum, ueluti ſeruos: alias in poteſtate parentum, ueluti liberos ex iuſtis nuptiis procreatos, & adoptatos: quam ob rem & de nuptiis, & de adoptionibus tractatus interponit: docetq;

ſubinde quibus modis liberi à parentum poteſtate liberentur. Ex his uero perſonis quæ in poteſtate non ſunt, cum quædam in tutela ſint, uel in curatione: exponit tutelarum & curationum formas, & tempora: in quibus quia prima cauſa eſt agnatorum & ius agnationis omnibus modis capitis diminutione plerunq; perimitur: ideo interponit tractatum de capi. dimin. & ſubinde proſequitur ipſorum tutorum & curatorum auctoritatem: ac quomodo illi ſatiſdare teneantur. quibus ex cauſis ab his muneribus excuſatio competat. & quemadmodum ſuſpitionis cauſa interdum remoueantur, & ex his primus liber abſoluitur.

Liber 2. 3. et 4. pars.

Secundus autem, cum tertio, & quarti parte, continent tractatum de rebus, & quibus modis illæ ſingulis acquirãtur. Seiunctis nanq; primum iis quæ ſunt adeo extra commercium, ut in cuiuſquam patrimonio eſſe nullo modo poſſint: docet quam multis modis tum naturali, ſiue gentium, cum ciuili iure, ſingulorum fiant res aliæ: ſiue illę corporales ſint, ſiue incorporales: ueluti prędiorum ſeruitutes, uſusfructus, uſus, habitatio, hæreditas, & obligatio. Et poſtquam expoſuit res ipſas iure gentium per inuentionem, per alluuionẽ, per uenationem, per traditionem, cauſa contractuum ex illo iure deſcendentium, & aliis quibuſdam modis acquiri, addit quibus modis legitimo & ciuili iure acquirantur, tum res ſingulæ, ueluti per uſucapionem, per donationem, per le-

gatum,& particulare fidei commiſſum:tum re-rum uniuerſitates quædam,ueluti per hæredita-riam ſucceſsionem,directam,aut fidei commiſſa-riam:ſiue de iure ciuili hæreditatis nomine : ſiue de iure prætorio, per bonorum poſſesſionem: & ſiue ex teſtamento eius cui teſtari iure licuerit, ri-te ordinato,ſiue ab inteſtato,ſecundum prærroga-tiuam graduum propinquitatis delatam,nec non per adrogationem patrisfamilias : & per bono-rum,cauſa conſeruandarum libertatum, addictio nem.atq; in parte hac ut ſuo quæq; occurrunt lo-co,docet quicquid iuris ſit, De teſtamentis , ſiue per milites,ſiue per alios ordinandis,&quibus nõ liceat teſtamentum facere,deq; liberorum inſtitu tione,uel exhæredatione,& aliis hæredibus inſti-tuendis,& ſubſtituendis , & quibus de cauſis iam facta teſtamenta infirmentur: & quæ inofficioſa dicantur : deq; ipſorum hæredum qualitate & differentia,& de legatis , & quatenus legatis per legem Falcidiam,& fidei commisſis,per ſenatuſ-coſ. Trebellianũ,modus imponatur.& de codicil lis . Demum quia ex antedictis incorporalibus rebus , expoſitis iam cæteris, reſtabat obligatio, qua quis ad dandum,faciendumue aliquid ali-cui adſtringitur : ut melius quomodo unaquæq; acquiratur obligatio declaret , diuidit obligatio-nes in eas quæ ex contractibus,uel quaſi contra-ctibus : & eas quæ ex delictis,uel quaſi delictis proueniunt.rurſus harum quæ ſunt ex cõtracti-

bus,alias acquiri dicit, rerum de quibus contra-hitur neceſſario interuentu:ueluti ex mutuo, cõmodato,depoſito, pignoratione,alias uerbis tantum, intercedente ſtipulatione, qua dari fieri'ue aliquid ſtipulemur: alias ſolis literis: alias ſolo conſenſu,ueluti ex emptione,uenditione,locatione,conductione,mandato. Quaſi ex contractibus prouenire ait obligationes,ueluti inter negociorum geſtorem, & illum cuius negocia geſſit: inter tutorem & pupillum: inter eos quibus ſine contractu ſocietatis incidit communio: interq; eum qui per errorem, indebitum ſoluit, & illum cui ſoluitur. Quibus expoſitis ubi pariter explicauit eas obligationes quæ ex delictis ueluti furto, rapina,iniuriis, dãno iniuria dato:& eas quę quaſi ex delictis proficiſcuntur: demum ſubiungit quibus modis acquiſita obligatio tollatur,ueluti ſolutione,acceptilatione,nouatione,& contrario conſenſu.

Tertiam totius operis partem,quam ad actiones pertinere propoſuerat,certe aliquanto confuſius tractat,quam ſuperiores:eius tamen hæc eſt ſumma. Id(ſcilicet)agere Imperatorem, ut declarato prius,quæ nam actionum in perſonam,quæ in rē competant:atq; inter eas omnes,quæ ex iure prætorio,quæ'ue ex aliis iuris ciuilis partibus proueniant:quæq; bonæ fidei ſint,quæ ſtricti iuris: & quæ liberorum, ſeruorum, aliorum'ue, aut quadrupedum nomine,in parentes,uel dominos: & Pars 3a Instit.

quæ in hæredes,hæredibus'ue,ac quæ nam perpetuo,uel ad tempus competant.ſubinde nos doceat per quos,& quo quæq; modo ſint in iudicio proponendæ:quomodo illis propoſitis, ſit ſatiſdandum:ac quæ & quomodo aduerſus propoſitas actiones,reis conuentis exceptiones competant:& iterum actori replicationes. Poſtremo de interdictis & actionibus in factum,quæ ſolent loco interdictorum dari,& de pœna illorum qui temere litigant,deq; iudicis,in arbitrariis præſertim iudiciis diiudicãdis, officio. & demum de publicis iudiciis,quas criminales dicimus actiones, tractet.Breuis eſt hæc explicatio,ſed apta ad intelligendum & recordandum.

PArticularis autem uniuſcuiuſq; tractatus diſpoſitio eſt ferè hiſtorica. Continens quaſi per epitomen ex ordine temporis quemadmodũ in quolibet articulo,poſt ius gentium & naturale duodecimq; tabularum leges:per magiſtratuum edicta, Senatuſconſulta,Plebiſcita, Prudentium reſponſa,& Principum conſtitutiones:aut aſperitate antiquioris iuris correcta, & iniquitate emendata; aut quod deerat ſuppleto, quod obſcurum erat declarato:quod interdum deſuetudine inumbratum,uel abolitum erat,illuſtrato,confirmato,& in

priſtinam authoritatem reducto: difficultatibus, fictionibus, formulis, ambagibus & ſuperuacuis atq; oneroſis antiquorum ſolennitatibus exploſis: procedente tempore, paulatim rebus mutatis, in hanc tandem ſimplicitatem, faciſitatemq; ius hoc ciuile Romanorum deuenerit. Porro quanta huic inſit conſiderationi utilitas ad hunc, & alios omnes iuris ciuilis libros, ex ipſis medullis facilius intelligendos, non poſſet paucis explicari: atq; ea fortaſſe iuniorum ſuperat uires. Proinde qui habet aures ad audiendum, audiat: & qui poteſt fructum capere, capiat: Ego autem ne uidear quod inueni talentum, ſuffodere atq; occultare uoluiſſe: quo, res illuſtrior facta, cum pluribus communicetur: aliquod præterea exemplis eã clariorẽ facere conabor. Nã uagari me latius non ſinit huius inſtituti ratio: pleniorem autem huius rei doctrinam inſtituemus in iis libris quos breui (ſi per rei familiaris curam & cauſarum patrocinium licebit) de cunctarum legum principiis ſum editurus. Sit igitur exemplum de manumiſſione.

Manumiſſio à iure gẽtium originem ſumpſit, ut pote, cum iure naturali omnes homines liberi naſcerentur, nec eſſet cognita manumiſſio, cum ſeruitus eſſet incognita. Sed poſtea quam iure gentium ſeruitus inuaſit, ſecutum eſt beneficium manumiſſionis: multis autem modis manumiſſio procedit: aut ex ſacris conſtitutionibus &c. Itẽ de

tutelis. Cum impuberes in tutela eſſe conue-
niens ſit,ut is,qui perfectæ ætatis non eſt,alterius
tutela regatur,permiſſum eſt parentibus, liberis
impuberibus,quos in poteſtate habent,teſtamen-
to tutores dare. Quibus uero teſtamēto tutor da
tus non eſt, his ex.l.xii. tab.agnati ſunt tutores,
qui uocantur legitimi:ex eadem.l.xii. tab. liber-
torum libertarumq́ꝫ tutela ad patronos, liberoſqꝫ
eorum pertinet, quæ perinde accepta eſt per in-
terpretationem,ac ſi uerbis legis introducta eſſet.
Exemplo patronorum recepta eſt & alia tutela,
quæ & ipſa legitima appellatur, nam ſiquis fi-
lium &c. eſt & alia tutela quæ fiduciaria uocatur,
nam ſi pater &c. Sed ſicui nullus omnino tutor
fuerat:ei dabatur,in Vrbe quidem à Prætore Vr
bano,& maiori parte Tribunorum plebis, tutor
ex lege Attilia,in prouinciis uero à præſidibus ex
lege Iunia & Titia. Sed ex his legibus tutores
deſierunt dari,poſtea quam primo Conſules ex
inquiſitione,deinde Prætores ex cōſtitutionibus
tutores dare cœperunt. Nam ſupradictis legibus
neqꝫ de cautione &c. Nos autem per conſtitutio
nem noſtram huiuſmodi difficultates hominū
reſecantes,diſpoſuimus &c. Item de fidei commiſ-
ſis. Sciendum eſt omnia fidei commiſſa. pri-
mis temporibus infirma fuiſſe, & ideo fidei com-
miſſa appellata ſunt, quia nullo iuris uinculo,
ſed tantum pudore eorum, qui rogati erant,con-
tinebantur. Poſtea diuus Auguſtus ſemel atque

iterum gratia perſonarum motus iuſsit Conſulibus auctoritatem ſuam interponere: quod quia iuſtum uidebatur, & populare erat, paulatim conuerſum eſt in aſsiduam iuriſdictionem: & Neronis quidem temporibus Trebellio Maximo, & Anneio Seneca Conſulibus, Senatuſconſultum factum eſt, quo cautum eſt &c. Poſtea Veſpaſiani Auguſti temporibus, Pegaſo, & Puſione Conſulibus Senatus cenſuit &c. Sed quia nobis in legibus magis ſimplicitas quam difficultas placet ideo omnibus nobis ſuggeſtis tam ſimilitudinibus quam differentiis: placuit exploſo ſenat. coſ. Pegaſiano &c.

Ratio autem & uia procedēdi, atq; inſtituendi ab Imp. obſeruata eſt, qualis unicuiq; artem quampiā docēti conuenit, & qualem Craſſus indicauit. porro ut in ſingulis articulis, rei qua de agitur, definitione, diuiſioneq; poſitis ſubinde partes ſingulas, nec non illarum cauſas, & effectus: atq; illis cognata, & cum eis pugnātia declaret. Quos locos ſi ſtudioſus lector obliuioni non tradiderit, ſed in eos animum intentum habuerit: quæ leget ad ſuū locum unumquodq; referens: & lecta facilius intelliget, & ex eiuſmodi collocatiōe memoriam non parum iuuari comperiet. Quam rem

quoniā et in hoc: & in aliis iuris libris utiliſsimā ſum expertus: fors non erit incōueniens, ſi id aliquo etiam exemplo demonſtrem. Vt ubi de capitis diminutione tractat: poſita definitione, quod ea ſit ſtatus mutatio: & addita diuiſione, quod tribus modis accidat: ſitq; interdum maxima, interdum media, interdum minima capitis diminutio. deinde aſsignat nobis uniuſcuiuſq; partis cauſas, & effectus: poſtea quia repugnare uidebatur manumiſsio, declarat ſeruū manumiſſum capite non minui: quia nullum caput ideſt nullum ſtatū habuit. Demum quia poterat ex parte altera ſimilitudo quædam dubium facere, ſubiunxit, quód quibus dignitas, magis quam ſtatus mutatur, capite nón minuuntur, & ideo ē Senatu motos, capite non minui. Item de uerborum obligatione, definitio eſt, cum dicit. Verborum obligatio contrahitur ex interrogatione & reſponſione, cū quid dari, fieri' ue ſtipulamur. quæ quidem definitio ſimul & cauſam continet, à qua ipſa producta eſt obligatio, Interrogationem, ſcilicet, & reſponſionem. Diuiſio eſt cum dicit: omnis ſtipulatio aut pure, aut in diem, aut ſub condictione fit. Effectus demōſtrat, ubi dicit ex hac obligatione duas proficiſci actiones: certi conditionem ſi certa eſt ſtipulatio, & ex ſtipulatu ſi incerta ſit. & ubi dicit, pure promiſſum confeſtim peti poſſe. Id autem quod in diem ſtipulamur, ſtatim quidem deberi ſed peti prius, quam dies uenerit, non poſſe: ex conditio

nali uero ſtipulatione tantum ſpem eſſe debitum iri. Illi quæ eſt in diem cognata eſt illa ſtipulatio quæ habet locum inſertũ, ut Chartagini dare ſpõdes: quia re ipſa habet tempus adiectum, quo promiſſor utatur ad pecuniam Chartagini dandam. Ideoq; ſi Romæ ſtipuler. nunc uel hodie Chartagini dari, inutilis erit ſtipulatio: quia impoſsibilis ſit repromisſio. Neq; hoc repugnat illi quod dictum eſt, pure promiſſum, confeſtim peti poſſe: quia hæc ſtipulatio propter inſertionem loci, in diem eſt magis, quam pura: dies uero ſi inſeratur, ita ut intra eam promiſſum exolui ſit impoſsibile, nulla eſt promisſio, cum ad impoſsibile obligari nemo posſit. At quatenus dictum eſt ex conditionali, ſpem tantum eſſe debitum iri, ſicq; in euentum conditionis differri obligationem, non, repugnat id quod dicitur: conditiones quæ ad præſens uel præteritum tempus referuntur, aut ſtatim infirmare obligationem, aut omnino non differre. ueluti, ſi Titius conſul fuit, uel ſi Meuius uiuit, dare ſpondes? Hæ nanq; conditiones, ea parte qua uerę fuerint, purę magis, quam conditionali erunt ſimiles: quia per rerum naturam certæ ſunt, licet apud nos ſint incertę: & ideo non morantur obligationem, ſed ſi res ita ſe habet, ſtatim ualet ſtipulatio: alioqui tanquam ſine cauſa, ſtatim non ualet: & ſic de ſingulis aliis. Eſt autem ſciendum locos prædictos non in omni tractatu omnes, neq; tali ordine ſemper diſpoſitos inueniri: nam

ſæpe uel non incidunt,uel eodem ordine tractari non poſſunt:quare ſtudioſi lectoris iudicio, quid, & quo ordine dictum ſit, diſcernendum relinquo. Illud certum eſt, nihil omnino dici, quod non ad aliquem ex dictis locis referri poſsit, Sed quod eſt dictum de definitione: ciuili & populari quodam modo intelligi uolo: ne quis illas fortaſſe Dialecticorum definitiones requirat, ex genere & ueris differentiis compoſitas:quæ ut in ſingulis diſciplinis ſunt raræ, (cum nonnulli putent non cognoſci ullius rei propriam & ueram differentiam) ita maxime in iure ciuili ſunt inuentu difficillimæ: quapropter Vlpianus dixit.omnem definitionem in iure ciuili eſſe periculoſam,& ex modico ſubuerti poſſe. itaq; ſatis erit nobis, ſi laxiori quocunq; genere, & quibuſcunq; uerbis res definitas habeamus: dummodo enuncientur ita commode,ut per ea res definitæ ab aliis differre oſtendantur. Quod aliquãdo ex cauſa efficitur:ſiue finali,ueluti cum dicitur. Vſusfructus eſt ius utendi fruendi rebus alienis, ſalua rerum ſubſtantia. Actio eſt ius perſequendi in iudicio quod ſibi debetur. ſiue materiali, ut uerborum obligatio eſt, quæ contrahitur ex interrogatione,& reſponſione,cum quid dari fieri'ue nobis ſtipulamur. Res corporales ſunt quæ tangi poſſunt.ſiue formali, ut legatum eſt,donatio quædam à defuncto relicta, ab hærede præſtanda.libertini ſunt,qui ex iuſta ſeruitute

manumiſsi ſunt. ſiue efficienti, ut lex eſt quod Populus Romanus Senatorio magiſtratu interrogante conſtituebat. Prætoriæ obligationes ſunt quas prætor ex ſua iuriſdictione conſtituit. Aliquando à partium collectione, ut inteſtatus decedit, qui aut omnino teſtamentum non fecit: aut id quod fecerat, ruptum irritum'ue factum eſt: aut ſi ex eo nemo hæres extiterit. Scriptum ius eſt lex, plebiſcitum, Senat. conſultum, principum placita, magiſtratuum edicta, reſponſa prudentum. Aliquando ſi rei notio utcunq; deſcribatur, cuius generis definitiones multas habemus, ueluti. Mortis cauſa donatio eſt, quæ propter mortis fit ſuſpitionem. Acceptilatio eſt imaginaria ſolutio. & ſimiles aliæ, quæ ſi uehemẽter urgeas, non ita ſolidæ ſunt, ſed multas habent exceptiones. Deducũtur etiam interdum ex uocis interpretatione: ut manumiſsio eſt de manu datio. Iniuria dicitur omne quod non iure fit. Interdum ex ſola ſimilitudine ſoni, ut teſtamentum eſt teſtatio mentis, & interdicta quaſi inter duos dicta. Et demum ex quibuſcunque aliis accidentibus: ueluti ſi per certam differentiam, ſeu priuationem contrarii, res à re differre oſtendatur: ut donatio inter uiuos eſt, quæ fit ſine ulla mortis cogitatione. Hæredes extranei ſunt cæteri qui teſtatoris iuri ſubiecti non ſunt. Item per tranſlationem metaphoricam, ut obligatio eſt iuris uinculũ quo neceſsitate adſtringimur alicuius ſoluē-

dæ rei. Item per relationem ad aliquid, ut prædio-
rum Vrbanorum ſeruitutes, ſunt quæ ædificiis
inhærent &c.
Nec aliter intelligi uolo, quod ad diuiſiones atti-
net, ne ſcilicet exigatur difficilis illa ex ueris (quæ
in ſubſtantia conſiſtant) differentiis, deducta diui
dendi norma. Nam ſufficiet etiam per quoſcunq;
locos, qui circa, quiq; extra ſubſtantiam ſunt, fa-
cta diuiſio: dũmodo uniuerſam, eius quod diuidi
tur, latitudinem complectatur. ueluti ſi à forma
fiat, ut rerũ ſunt aliæ corporeæ, aliæ incorporeæ.
uel à materia, ut obligationum aliæ ex contractu
ſunt, aliæ ex maleficio. uel à fine ut actionum aliæ
in rem ſunt, aliæ in perſonam. uel ab effectis,
ut omnes actiones, aut in ſimplum conceptæ
ſunt, aut in duplum, aut in triplum, aut in qua-
druplum, uel, ut ſemel finiam, per quoruncunq;
accidentium enumerationem: ut rerum quædam
extra patrimonium, quædam in patrimonio no-
ſtro ſunt. Omnes homines aut liberi ſunt, aut
ſerui. Contingit etiam interdum fieri partitio-
nem, non ut generis in formas, ſed uti totius cu-
iuſdam, in partes: ut cognationem aliam ſupra
numerari, aliam infra, aliam ex tranſuerſo: quo
modo & uſusfructus à proprietate ſeparationem
recipit. Sunt & alii multi diuidendi modi, quos
non eſt hic recenſendi locus, tantum admonuiſ-
ſe uolui, ne ſtudioſi hic, illas ad perpendiculum
quodammodo exactas definitiones & diuiſio-
nes

nes expectant: ſed contenti ſint eo quod potuit ſecundum ſubiectam materiam ab Imperatore præſtari.

STilo cōpoſitus eſt liber exili, & genere orationis preſſo, de rebuſq; non remotis ab uſu communi, oratione loquitur pene populari. ita ut appareat auctorē ſolicitudine uerborum, haud motum, nullam quæſiuiſſe gratiam, neq; in dictionibus, neq; in uerborum compoſitione. Quod ſicuti ego exiſtimo, auxit opinionem cōtendentium. Non debere contra ipſius Iuſtiniani (ut autumant) præſcriptum, in hos præcipue inſtitutionū libros, qui facillimi ſunt, commentaria & gloſas annecti. Sed illi certe demonſtrant ita ſentiendo ignorare ſe facultatis huius de qua loquuntur naturam, quæ non ſolum in multis ambigue, uel obſcure poſitis, ſicut aliæ ſcientiæ doctorum interpretatione indiget, ſed etiam, cum non niſi de actionibus hominum, populariq; uita tractet, neceſſe eſt ut ad ætatis, & loci cuiuſq; mores accommodetur. Neq; hoc Iuſtinianus ipſe nō cogitauit: qui ubi prohibuerat, ne quis legibus ſuis cōmentarios annectere, illarum'ue interpretationes cōponere auderet: ſubiunxit, ut ſiquid deinde ambiguū appareret, & ſi emergerent negocia, quę

adhuc legum laqueis non eſſent innodata:ea per iudices ad Imperatorem referrentur,qui & nouas quatenus opus eſſet, leges conderet, & antiquas interpretaretur. Quod cum poſtea Imperatoribus, uel auctoritate diminutis, uel rebus aliis occupatis, per Imperatores ipſos impletum non fuerit: quanquam multa ſuppleuerint Pontificum Decretales: plurima tamen ſuperfuerunt, & in dies emergunt, ob quæ neceſſaria fuit interpretatio iuris prudentium: ne alioqui ignaui cuiuſq; iudicis arbitrio,& libidini, fortunæ omnes,ac uita hominum relinqueretur. Eſt igitur nõ utilis tantum, ſed etiam neceſſaria interpretatio, quæ tamen modum ſeruet, & ſicut ſuperius dixi,ordine procedat,& à propoſito aliena non miſceat.

IAm quod attinet ad eas litteras & artes, quibus prius imbutos eſſe oporteat, qui has inſtitutiones ſunt audituri: diſtinguendum puto, uelit ne ſtudioſus iuriſperitus euadere:an uero prægustare tantummodo has inſtitutiones, quaſi ad informandũ uniuſcuiuſq; uitam neceſſarias. Neq; enim exiſtimo eſſe, qui neget omnibus qui inter homines uiuere,nec penitus inutiles,& ad omnia ſtupidi eſſe:ſed quibus officiis,quo iure, cum

liberis ſuis,cum propinquis,ciuibus,cæteriſq; ho
minibus uiuendum ſit,ſcire uelint,certam quan-
dã,& ſi non exactam iuris ciuilis notitiam maxi-
mo uſui eſſe. Adhũc igitur finẽ nullas alias artes
neceſſarias eſſe duco:ſed tantũmodo, ut hæc au-
dituri uerſati ſint aliquando inter homines,& ci-
uilium negociorunm non penitus inexperti, ſint
etiam per ætatẽ ad hæc ſtudia idonei.certam au-
tem annorum metam determinare difficile eſt:
cum multi etiam ætate prouecti nullis ſint ciuili-
bus officiis utiles. Sed illud omnino certisſimũ,
nullo pacto eſſe pueros huius ſciẽtię idoneos au-
ditores,quos p ætatẽ neceſſe eſt,ferme rudes eſſe
actuum uitæ. Ideo iudicio meo, utilius eſſet pue-
ris,qui iuri operam daturi ſunt, ſi in aliis ſtudiis
agerent teneros illos annos,quã ſtatim quaſi è cu
nis(ut pleriſq; contingit)mitti ad legum ſtudia,
in quibus compertum eſt nihil eos interim profi-
cere poſſe. Quam uero ætate prouectiores, iunio
ribus ſint huic diſciplinæ magis idonei: quantũq;
conferat ciuilium actionũ peritia, uel unius Ac-
curſii exemplo doceri poſſumus, qui cũ quadra-
geſimũ agens annũ,ad hæc ſtudia ſe conuertiſſet:
nullis aliis artibus,quam uitæ ciuilis experientia,
immo neq; omnino litteris prius imbutus: tanto
poſt ſe ſpacio reliquit cæteros cõdiſcipulos,ut me
rito illos pueros,atq; hoc quod dico uerum eſſe
oſtẽderit. Futuris autẽ Iuriſcõſultis,qui exactiorẽ
quandã doctrinã præſtare debẽt,ad quam in ra-

ris perplexiſq; controuerſiis recurramus:conue‑
nire arbitror,ſi præterea dialecticæ, & rhetoricæ
præcepta,ſaltem illa,quæ de utriuſq; Inuentione
tradita ſunt,non ignoret.alias uero artes, hiſto‑
riarum memoriam , linguarum peritiam, latinæ
exquiſitam elegantiam,& in ſumma ſcientiarum
omnium notitiam , quam à nonnullis exigi au‑
dio,ſi afferatur ſummopere laudauerim : quod ſi
non contingat,ſatis mihi abſoluerint munus ſuũ
iuris profeſſores,qui uerbis quibuſcunq;,uel ap‑
te ſenſa legum aperuerint , uel conſulenti amico,
quid illi agendum fuerit monſtrauerint , uel quã
agent cauſam iudicibus probauerint.quod ſiquis
rem aliter ſe habere crediderit,is diligenter perpẽ
ſis omnibus,quæ adhuc de Accurſio , Bartolo, &
aliis noſtris doctoribus, tanta cum ſolicitudine
undecunq; aucupatis occaſiunculis notata , indi‑
care ſtuduerunt Laurentius Valla , & illius imi‑
tatores,dubio procul de duobus alterum compe‑
riet,uel illos ipſos reprehenſores,nihil aliud quam
imprudentiam ſuam declarauiſſe,cum ad latini‑
tatis communes regulas omnia exigunt uocabu‑
la : non animaduertentes conceſſum eſſe cuili‑
bet arti ius utendi ſuis uocabulis, ſuóq; idiomate
multarumq; propterea dictionum,quarum apud
alios auctores alia ſit ſignificatio,proprium eſſe
in iure uſum. Vel adeo leuia,& ad rẽ parum per‑
tinentia eſſe,quæ reprehenduntur, ut propter illo
rum omnium ignorationem,non magis inutiles

ſibi iuris interpretes iudicet quis Accurſium , & Bartolum:uiros alias ingenii acumine non pœnitendos , & in ciuilibus negociis uerſatos,quam inertem exercitus ducem Themiſtoclem, quia ſe pulſandæ lyrę ignarum olim confeſſus fuerit.

NVnc ut perfectam habeat ſtudioſus rationē quam ſecutus proficere poſſit: præter iam dicta illud admonēdum uidetur,ne plura pertractentur,quam ea quæ ad intelligendum librum ſunt neceſſaria,atq; in his uitetur obſcuritas,uitentur ſophiſticæ cauillationes, ac quæſtiones aduerſariæ, & quas dicunt brocardicas:quædam etiam differantur:deniq; ne tempus abſumatur in nugis,& quæ ad diſciplinæ cognitionem non conferunt inanibus quæſtiunculis:ut dum quæritur,cur Imperator dixerit Imperatoriam maieſtatem non ſolum armis decoratam,ſed etiam legibus armatam eſſe oportere:potius quam legibus decoratam,& armis armatam & ſimilia,de quibus ſiquis percōtetur auctorem,nihil aliud reſponſurus ſit, quam quia illud tunc forte uenit in mentem, quemadmodum in inſulis fortunatis Luciano reſpondiſſe dicitur Homerus interroganti,cur primā Iliadis dictionem uoluerit eſſe iram:Atq; præceptū hoc iuris ſtudioſis eſt præcipue cuſtodiendum,

quibus maxime conuenit: ut humili illa uerborũ cura poſthabita, ſenſum duntaxat æquitatis atten dant: & memoria teneant illud Menandri, qui in quit, leges optimæ ſunt, ſed qui nimis acute eas inſpiciunt, fiunt ſycophãtę: nempe quorũ eſt frau dem legi facere, ad legis ſubtilitatẽ recurrendo: & omnia ad uerborũ cauillationes, & litterarũ an gulos reuocando, quaſi unaquæq; in legibus ſylla ba, ex magno religionis myſterio ſit poſita, & uim ſuã quandã certamq; obtineat. Demum cũ iuxta diuini Platonis ſententiã, ſcientia, quæ remota eſt à iuſtitia, calliditas potius, quã ſapiẽtia ſit appellã da: hocq; in genere, (ut Celſus dixit) plerũq; ſub auctoritate iuris ſcientiæ pniciose erretur. hic iu ris ſtudioſis cuſtodiendus eſt ſcopus, non auctorũ ſcripta, neq; uerba, ſed quas tradunt ſententias eſ ſe perdiſcendas, atq; eatenus habendã eſſe uerbo rum curam, quatenus conuenire uideantur æqui tati naturali, & ſignificatæ rei pro qua poſitæ ſunt, & menti illa proferentis: quod ut aſſequamur, ſi & nos aliquando dicere, uel ſcribere aliquid opor tebit, non erunt aſpernanda, ſi qua dicenda fuerint uerba minus latina, aut etiã barbara. Si alia non occurrẽt, quæ rem tã plane explicent, minuſq; la borandũ erit de nominibus, cum quod ſignifica tur intelligitur. Præuaricatio profecto dici poſ ſet, ſiquis amici cauſam agens, dicere mallet (exẽ pli gratia) diras execrationes, & fiduciariũ ſacer dotiũ: quia latinæ uideãtur dictiones: tametſi res

ipſas,prout ſunt in uſu,non exprimant:quã excõmunicationem,& beneficium cõmendatum: quia uocabula ſint uulgaria . Et impietas fortaſſe,ſi, quia feudũ,repreſalias,& his ſimilia,tãquã res nouas,& barbaras,neq; latina uoce ulla explicabiles, abhorreat,idcirco amicũ , & eius cauſam deſerat.

AD obſcuriores autem , ſiqui inciderint,locos intelligendos. Prima obſeruatio eſt,ut liber ſemel,totus legatur,notuſq; ſit,etſi nondum ad intellectum,tamẽ ad cognitionem quandã. Tum uero facta quadã familiaritate,obſeruataq; auctoris conſuetudine,& dicendi forma,nec non argumentandi modis,& ambigua decidendi rationibus:ſimilibuſq; in unũ collatis:& in ſumma,omnibus,quę legentur,ad certos fines,& propria capita relatis, in ea quæ obſcuriora ſunt,aperiẽda & diſcutiẽda, pergendũ eſt:ut ad obſcuriora illuſtranda,de manifeſtioribus ſumantur exẽpla.non enim raro locorũ collatio,nodũ explicat difficultatis, dũ quod alibi dictum eſt tectius, alibi dilucidius effertur, qua in re,memoria ex priori lectione,collationeq;, ac relatione,ſicut proxime dixi,factis,acquiſita,ualet plurimum. Vt ſi cum in tractatu,de pœna temere litigantium,legis. Parentibus & patronis, item parẽtibus liberiſq; patronorum, hunc præ-

ſtari honorem,ut nō aliter liceat liberis libertiſq́;
eos in ius uocare,quam ſi id ab ipſo prætore impe
trauerint:ambigiſq́; cur non liberis quoq; paren
tum ideſt germanis fratribus eius,qui uelit in ius
uocare,idem honos debeatur,qui patronorum li-
beris debetur,dubitare deſines,ſi memoria repe-
tes,quod pro alterius ſimilis ſcrupuli diſſolutione
ubi de fiduciaria tutela tractauit Imperator dixit.
Quoniam filius poſt obitum patris,ſui iuris effi-
ceretur,nec in fratrum poteſtatem recideret,liber-
tus autem,ſi ſeruus manſiſſet,utiq; eodē iure apud
liberos domini, poſt mortem eius futurus eſſet.
Quod ſi uel per ſe obſcurior,uel nobis omnino
ignotus occurrerit locus:non adeo multum reſi-
ſtendum,neq; generoſum ingenii impetum retar
dandum,aut(quod multi faciunt) libros abiiciē
dos,& de ſtudio deſperādum cenſeo:ſed potius re
cta uia procedendum eſſe,locum autem illū uti-
le fuerit aſteriſco aliquo notatum : intactum re-
linquere,& admonere obſcurum eſſe,atq; id me-
moriæ mandare:ut cum uel peritior,de quo quæ-
ri poſſit,uel ſubſequentium lectio, ſeu liber alius,
qui id aperiat,occurrerit, adiuuāte memoria poſſi
mus,uel diſcere,uel animaduertere,ut ſic ubi tra-
ctatur. Quibus modis re contrahitur obligatio:
nō intelligis uerba illa,quod ei qui accepit in de-
bitum,perinde condici poteſt,ſi apparet eum da-
re oportere,ac ſi mutuum accepiſſet. notato loco,
atq; memoriæ commendato,pergendo inuenies.

Si apparet eũ dare oportere, uerba eſſe concepta ex formula ſignificante actionem perſonalem. nã inferius, ubi de actionibus traditur, ita habetur. Plane odio furum, quo magis pluribus actionibus teneantur, effectum eſt, ut extra penam dupli, aut quadrupli, rei recipiendæ nomine fures, etiam hac actione teneantur, ſi appareat eos dare oportere, & de exceptionibus. ita. Præterea debitor, ſi pactus fuerit cum creditore, ne a ſe pecunia peteretur, nihilominus obligatus manet: quia pacto cõuento non omnino obligationes diſſoluuntur. qua de cauſa efficax eſt aduerſus eum actio, quam actor intendit. ſi apparet eũ dare oportere. Inuenies etiam eam formulam comprehenſam eſſe in aquiliana ſtipulatione. quib. mod. re contrahi. obli. Et de ea ſenſiſſe Ciceronẽ, qui offi. lib. iii. inquit. Itaq; Calphurnius arbitrium, ſeu arbitrum, illum adegit, quicquid ſibi dare facere oporteret ex fide bona. Frequenter uero huius, aut illius loci ſenſus ex ſuperioribus pendet: ut conſiderari poteſt ex his, quæ de tollendis titulis ſuperius dixi. Arbitror autem præcipuam intellectus in obſcuris clauem eſſe, ſi ſpectemus, quid eo in loco agatur, ita ut ſenſus quem obſcuris uerbis elicimus, reſpondeat propoſitæ ſpeciei, reſpondeat antecedentibus & ſubſequentibus, deniq; reſpondeat æquitati naturali.

HÆC ſunt amici dulciſſimi, per quæ uobis abſens, quando coram, ut promiſeram, interpretando non licuit, breuiſſimo hoc libello indicaſſe mihi uideor, Quis Iuſtinianarum finis inſtitutionum, quam'ue illæ habeant utilitatem: Quæ ſit cum operis uniuerſi, tum particularis uniuſcuiuſq; ipſius operis tractatus diſpoſitio. Qua Imp. in ipſa operis ſerie, ratione & uia, quo'ue ſtilo utatur: Quis huius ſit facultatis idoneus auditor: Quē modum docentes, quem diſcentes ſeruare debeāt. Qua demum uos induſtria uti oporteat, ut obſcuriora loca intelligatis. Quæ ſingula ſi diligēter expendetis, & ipſas inſtitutiones, & reliqua, quæ uberioris ſunt fructus, maioremq; in ſe continent dignitatem, facile adſequemini.

TRACTATVS ANTONII MASSÆ GALLESII DE EXCEPTIONIBVS SEV POTIVS PRAXIS IVDICIALIS.

LOD. Faber. Phanen̄, ad Lect.

Sunt Cereris leges, ſunt Phœbi oracula, munus
Palladis ingenium: & ſunt Charites Veneris.
Vno Maſſa breui hæc cōplectitur omnia libro:
Dun cauſas priſco more ut agas, uigilat.
Præterita in præſens ferre: & tenebris dare lucē:
Sunt opera iſtà hominū: ſunt operà iſta deū.

REVERENDISS. D. DOMINO Iacobo Simonettæ S. R. E. Titulo ſancti Cyriaci in Thermis Presbytero Cardinali Antonius Maſſa. S. D.

TANTA EST HVmanitas erga me tua Pater ampliſſ. ut magnum flagitiũ commiſiſſe mihi uiderer: ſi ego ſolus ceſſator fuiſſem, cęteris amicis & beneuolis tuis, ciuibusq; fere omnibus lætitia exultantibus: quoniam te Pont. opt. Paulus Cardinalem feciſſet: honore ut ex ſe maximo, ita maiore, quod illo tam boni Principis iudicio dignus exiſtimatus, & ultro exornatus fueris, Interea quid agere deberem cogitanti, uenit in mentem, libellum quem exercitationis tantum gratia ſuperiori æſtate compoſitum, tibi oſtenderam, ſub tuo nomine in lucem edere. Quid enim formidaret, hoc titulo munitus, hac præſertim occaſione temporis, in publicum exire? Tu igitur, uti mos eſt tuus, benigniss. Pater licentiorem hanc meam hilaritatem, æqui boniq; facias. Cæteri, quibus de libello ipſo non ſatisfecerim, excuſatum me habeāt oro: quaſi qui nihil aliud quàm inter tot publicæ lætitiæ ignes modico illitũ oliuo ſarmentorum faſciculum incederim. Vale.

A D R E V E R E N D I S S. P. D. Iac. Simonettam Epiſcopum Piſaureñ. Referendarium Auditoremq́; Pontificium: Antonii Maſſæ Galleſii. De Exceptionibus, Liber.

CVM SÆPIVS ANIMADVERTISSEM Præſul digniſſ. nonnullos ex his qui uerſantur quotidie in iudiciis: & qui de iure conſulentibus, ex ſcripto reſpondent: magno cum Iudicum faſtidio, uel riſu, & cauſarum periculo, plerunq; etiam amisſione, uel pauciora quã oporteat dicere, uel plura quæ nihil ad rem faciant inculcare, cognoui quàm ſapienter apud Ciceronẽ Antonius dixerit. nihil prius cõſtituere ſe: quàm quid ſit illud quo referri debeat omnis illa oratio, quæ propria ſit quæſtionis, & iudicii. ita enim futurum iudico, ut & cauſæ ſatisfiat: & nihil quod obſit, uel certe non proſit, in medium afferatur: ratusq́; ſum operæpretium me facturum: ſi quo id pacto fieri facile queat oſtenderim.

Continget autem (niſi fallor) ſi Iureconſulti, patroni, et aduocati cuiuſq; præcipua ſit cura, inueniendi cauſæ Statum, in quem argumenta omnia coniiciantur. Statum uero (quem recentiorum nonnulli punctum appellant) cum plane

Status cauſæ & P̄ūctū: qd ſint. conſtet, eſſe quod proficiſcitur ex conflictione cauſæ, ubi primum litigatores conſiſtere cœperint, & quo probato, uel confutato, in hanc uel illam partem de quæſtione pronunciari oporteat: reſtat ut eiuſmodi ſtatus quomodo inueniendus, dignoſcendus'ue ſit, explicem. Hoc totum pendet ab his quæ tum actor proponit & replicat: tum depellendo duplicandoq́; Reus excipit.

De quib. tractandum. Sed cum ad inſtruendas Actorum intentiones, plurimi atq; refertiſſimi extent actionum & libellorum tractatus: hic omiſſis, tantum quæ de replicationibus illorum: & de Reorum partibus occurrebant: quantum aſſiduis cauſarum procurationibus occupato licuit: ideoq́; non aliter quàm tumultuario et forenſi ſtilo conſcriptum: tibi qui Iureconſultorum noſtri temporis, & es, & appellaris merito conſultiſſimus, oſtendendum cenſui: haud dubie ſperans (quæ tua eſt humanitas, & amor erga me) ut rectè ne ſenſerim, admonere nō graueris, Atq; hinc (ne diutius te morer) iam inſtitutum aggredior meum.

De litis conteſt. et cauſarū cōſtitutio. In omnibus cauſis, tres ſunt gradus: ex quibus unum aliquem capiat oportet, qui in ius uocatur, ſi plures nequeat, aut pluribus non indigeat ad reſiſtendum. Nam aut ita conſiſtendum eſt, ut quod obiicitur, factum negetur. Aut ſi ſic eſſe inficiari nequeat: negetur eam uim habere, atq; id eſſe, quod aduerſarius criminetur:

Aut demum, tale eſſe, quale ille dicat. Ita primus ille gradus: quia coniectura quadam, an ſit illud de quo agitur explicatur, ex eo conſtitutio coniecturalis nominatur. Secundus quia definitione atq; deſcriptione, aut informatione uerbi, quid ſit illud inquiritur: diffinitiuam facit conſtitutionem. Tertius quia facti de quo, deq; eius nomine conſtat, genus & qualitatem inquirit: atq; æqui & iniqui: iuris & iniuriæ diſtinctione, tractatur: ex eo, tum qualitatis, tum iuridicialis, tum negocialis, & generalis conſtitutio efficitur. Vltimus hic, in noſtræ conſuetudinis iudiciis accidere ſolet, negata concluſione libelli: priores uero, negata narratione illius, & cauſa: quemadmodum negandi has formas, doctiſſime (ut ſolet omnia) ponit Innoc. in. c. i. de litis conteſt. Quod ſi cauſa in horum aliquo conſiſtere non poterit: neq; conteſtatio litis: neq; ulla erit diſceptatio, niſi de actione quæſtio fiat, & tranſlatio inter ueniat: quæ ſola ſupereſt uia, iuris aliquo adminiculo elabendi, ex eo, quod nec negari, nec defendi poteſt: huc ſpectant quæ dicit Accurs. in. l. i. C. de lit. conteſt. Porrò ipſa declinatio iudicii, habet aliquam ſpeciem iudicii: & Hermagoras ſemper eam adhibendam eſſe putauit, primo ſtatim congreſſu, ſi cauſæ conditio pateretur. Tametſi quidam, ſtatum hinc eſſe nolint: quippe cum non iudicium conſtituat, ſed diſſoluat, euertatq;. Verum Hermagoræ po-

tior ſententia,cum quo et Fortunatianus, ſentit: ubi. Nihil(inquit) ſtatuo tam intereſſe illorum quibus iudicium intenditur,quàm declinare iudi cium:nam ſi ita res ageretur,ut quoties nollet ali quis cauſam introduci,eſſet hoc in ipſius poteſta te,nulla eſſet quæſtio:nunc cum ſemper exiſtant qui impediant:ipſa illa contentio,qua alter alterũ in iudicium uocat, alter uero recuſat iudicium,fa cit quæſtionem.

Et quanuis nulla diſceptatio,niſi coniectura,fini tione,qualitate, poſſit explicari:& in tranſlatio ne nihil aliud quæratur quàm illa tria:hoc tamẽ intereſt:quod in prioribus propter rem ipſam, in tranſlatione, tantum propter iudicium & actio nem diſceptatur. Rurſus illa quatuor,coniectu ra, finitio,qualitas,& tranſlatio,in duo genera de ſcendunt Rationale, & legale. Rationale ſim plicius eſt, quia ipſius tantum naturæ contem platione conſtat:itaq; in eo ſatis eſt, coniecturam, finitionem, qualitatem,oſtendiſſe. Legale ge nus nobis frequentius eſt: quoniam cum lege firmius in controuerſiis diſceptandis ſit nihil,da mus ſemper operam ut legem adiutricem, & te ſtem adhibeamus. Comprehenditurq; ſub hoc quicquid ex lege controuerſiæ naſcitur. plures au tem ſunt eius ſpecies. Tum enim contenditur nõ id legem dicere quod aduerſarius uelit,ſed aliud. quod contingit ubi ſcriptum obſcurum eſt, aut ex eo duæ pluresue ſententiæ accipi poſſunt: de

quibus not.in.l.ueteribus.ff.de pactis. Tum opponitur ſcripto, uoluntas ſcriptoris: ut quæratur, Verba ne plus, an ſententia ualere debeat: de quo. XXXVIII. diſt. c. ſedulo. &. l. non aliter. ff. de lega. iii. Tum legi, lex contraria affertur. quod ubi euenit, expediendum eſt ſecūdum. l. ii. §. contrarium. C. de uet. iure enucl. &. c. i. diſt. x. cum ſimil. Aut ſi res ſine propria lege uenit in iudicium: ab aliis legibus ratiocinando ſimilitudinem quandam aucupamur. ut. l. non poſſunt, & ſeq. ff. de legibus. Ita ſunt quatuor genera, quæ controuerſiam in omni ſcripto facere poſſunt. Ambiguum, Diſcrepantia ſcripti & uoluntatis: Scriptum contrarium: & Ratiocinatio. Iam & hoc perſpicuum eſt non magis in legibus, quam in teſtamentis, in contractibus, & in cæteris id genus, quæ ex ſcripto aguntur, poſſe controuerſias eaſdem exiſtere. Sed illud memoria ſempre cuſtodiendum, naſci hæc omnia ex prioribus illis tribus, licet diuerſam faciem oſtendant. ſiquidem ambiguum ſemper coniectura: ſcripti & uoluntatis, ac legum contrariarum conſtitutiones, aut qualitate, aut coniectura, continentur. Syllogiſmus, quem Cic. ratiocinationem interpretatur, qualitati maxime, nonnunquam & finitioni ſubiacet. Conſtat igitur ne in his quidem aliud pręter illa tria, quæ dicta ſunt, quæri, atq; propterea eſſe quatuor quaſi maiora capita. Coniecturam, finitionem, qualitatem, tranſla-

Exceptionum deriuatio.

tionem. ex quibus deriuatur omnis, non ſolum conteſtandæ, conſtituendæq; litis ratio: ſed & excipiendi replicandiq; facultas. Spectant nanq; ad tranſlationem, exceptiones & replicationes, quas temporales & dilatorias noſtri appellant: ad cætera capita perpetuæ & peremptoriæ. quoniam hæ, ſi ueræ ſint, penitus excludunt & perimunt actionem: illæ differunt. Qui enim dicit: Non à te: non contra hunc, non hoc tẽpore: non hoc loco: non hoc modo, agi debere: nõ perpetuo excludit: ſed quoad alius, contra alium: alio tẽpore: alio loco, alio modo, & coram alio iudice, egerit. Qui uero factum negat: aut quod factum eſt, non hoc eſſe: aut iure factum contendit: is nullo unquam tempore uult actionem competere. Et ex his (ut puto) intelligitur, qua de cauſa exceptiones in perpetuas & peremptorias, ac dilatorias & temporales, apud Vlpianum & Caiũ, diſtinctæ ſint.

Prima exceptionũ diuiſio.

Exceptionum diuiſio altera.

Exceptionũ adhuc aliquæ, differentiæ cauſa, præſcriptiones nominãtur: differentiã uero huiuſmodi à noſtris hactenus parum animaduerſam, ſi dilucidius explanauero: eadem opera, ſimul titulus digeſt. de exceptionibus ſiue præſcriptionibus, & præiudiciis, ſimul quid ipſa uerba ſignificent, quid inter ſed iſtent, explicatum erit. Præſcriptionem, qui poſt antiquos illos Iureconſultos ſcripſerunt, nemo non definit. eſſe, exceptionem, ſiue ius ex tempore prouenięns, & uim capiens, aut ali

quid ſimile:uoluntq́;,ipſam ab uſucapione differre,eo quod uſucapio(quaſi & ipſa exceptionis ſit nomen) in mobilibus & ſe mouētibus:præſcriptio uero in reliquis procedat, errore, quantum iudico,duplici,Quādoquidem ſi(Modeſtino teſte) Vſucapio eſt acquiſitio,uel adiectio dominii per continuationem poſſesſionis temporis lege definiti,nec diſtinguitur aliquid de rebus mobilibus,aut ſoli.ſequitur ut,quia contra mentem Iureconſulti eſſe appareat, ea diſtinctio non ſit probabilis, conueniatq́;(ſi modo uocabuli proprium ſignificatum attendere uolumus)tam mobilibus,quam ſoli rebus uſucapio.comprobatur idem.l.iiii.§.ſi fundum,&.l.nunquam.ff.de uſucap.& aliis infinitis penè locis. Sequitur præterea,quod cum uſucapio ſit ipſa per continuationem acquiſitio,conſequenter differat ab exceptione,quæ peracto tempore quod præſcriptum erat,efficitur, quapropter & præſcriptio dicitur. ut prob.C.de præſcrip. long. tempo.l. ſi uineæ, & quibus non obſtat lon. temp.præſcrip.l.i.& de præſcrip.xxx. ann.l.ulti. cum aliis ſimilibus multis. Nec me quicquam mouent, quæ per Doct.in rubb. de except. & præſcrip. citantur. l.ii. in quibus ca. long.tempo. præſcrip. ceſſat, &.l. i.de ſer. fugi. C. & quam neminem aduertiſſe uideo, inſtitut. de uſucapio. §. diutina poſſesſio. iuncta. l. i. §. quod & rebus. C. de uſucapio. transform. Fatebor enim à propria

Concluſio cōtra receptam opinionem.

Altera cōcluſio ſimilis.

Confirmatio prioris concluſ.

uerbi ſignificatione receſſum, ut differentiæ cauſa plerunq; uſucapio mobilium ſolummodo rerũ intelligatur, ad differentiam ſcilicet eius quã diutinam poſſesſionem appellat Imperator. cui ſimilis eſt diſtinctio de ſignificatione pignoris & hypothecæ, inſt. de action. §. inter pignus, licet eam non probet Valla, elegant. vi. & item petitionis & actionis. in. l. pecuniæ. §. actionis uerbum. ff. de uer. ſig. Nec tamen hoc temere in uſucapionibus inualuit, ſed ipſa potius rei natura ſuadente. Nam cum. l. xii. tab. caueretur. in Italia tantum, ut res mobiles anno, immobiles biennio uſucaperentur. & receptum poſtea fuiſſet ab antiquis iuris interpretibus, primum ut pro mobilibus in toto orbe lex eadem ualeret, deinde aucto imperio, ut prouinciarum quoq; prædia, non tamen ſicut in Italia biennio, ſed. x. inter præſentes, & xx. annis inter abſentes uſucapi poſſent: uocari cœpta eſt hæc, ad differentiam illius Italicæ biennalis, longa poſſesſio: ab eaq; longæ poſſesſionis præſcriptio: differẽs ab Italica biẽnali uſucapione, locorum & temporum, non rerũ diſtãtia. donec longæ huic poſſesſioni prouinciali, Iuſtinianus Italicam adæquans, & totam antiquã uſucapionem transformans, uoluit, in Italicis quoq; nõ amplius biennii anguſtiam, ſed. x. uel. xx. annorum, quemadmodum in prouincialibus prædiis tempora currere: & ut deinceps alienam rẽ mobilem, ſeu ſe mouentem, in quacunq; terra, ſiue Ita-

Hiſtoria uſucapionis.

lica,ſiue prouinciali,bona fide poſſidentes,nō an-
no tantum,ſed continuo triennio,ſibi quaſi per
uſucapionem acquirerēt.quo nunc iure utimur.
Recte igitur proprie locuturi, non mobilia ſolū
ſed etiam immobilia uſucapi. differentiam uero
facturi,in mobilibus tantum uſucapionē,in im-
mobilibus præſcriptionem dixerimus. Minime
etiā cōcluſioni prædictæ obſtat auct.quas actio
nes.C.de ſacr.ſanc.eccl. tranſcripta.XVI.q.iii.
utpote deprauata:quandoquidem unde ſumpta
eſt,nulla de uſucapione fit mētio.Accurs. quoq;
inſt.de uſucap.in princ.ſuper uer.uſucapiantur.
loquitur contra uerba eius quam interpretatur.
& aliam legem ſecum facientem non allegat.Al
terum uero,quod comprobaui,eſſe præſcriptionē
ab uſucapione & poſſeſſione diuerſam ſicut à
cauſa,quod ex illa procedit.nō propterea minus
uerum eſſe apparebit: quia in.l.ei à quo.ff. de
uſucap.&.l.non eſt incognitum.C.quib.nō ob.
lon.temp.præſcr.id uideatur cōfundi.Poſita eſt
enim his in locis præſcriptio,pro præfinitione,&
determinatione temporis,ad uſucapionem præſti
tuti. habētur horum ſynonymorum exempla in
l.quod ſi nolit.§.ſi quid ita.ff.de ædil. edic.in.l.
mariti.§.hoc quinquēnio.ff.ad.l.Iul.de adul.in.
l.i.C.ne rei domi.uel.pri.& in.l. iii.C.de præſ.
xxx.ann.Sed uti lucidius fiat quod dico. Videa
mus ipſius uerbi præſcribere, & præſcriptionis
proprias & deriuatas ſignificationes.

Cōfirmatio ſecūdæ Cōcluſionis.

De uerbo præſcribere: deq; præſcripto, et præſcriptiōe.

Præſcribere proprie, eſt prius ſcribere. Et quia legem ponēs, aut pręcipiens aliquid, illud prius edicit, cœpit id uerbum ſumi pro eo, quod eſt præcipere, determinare, legem ponere, ut prob. l. ii. §. poſtea ne diutius. ff. de orig. iur. l. pręſcriptis, & l. intra. ff. de diuer. & temp. præſcrip. & C. ad. l. Iul. de adulte. l. ob commiſſa. de præſcrip. xxx. anno. l. i. & de quibus ſuperius eſt habita mentio. l. ei à quo. & l. non eſt incognitum: quibus accedit Hor. ſer. ii. lib. i. Quid faciam præſcribe. & Dion in Adriano. decēnium præſcripſit, à quo debere quiſquam deſineret, & Sen. epiſt. iiii. Pueri ad pręſcriptum diſcunt. Ex quibus apparet præſcriptū & præſcriptionem, pari modo pro præcepto, ordine, lege, determinatione, præfinitione, ſeu forma ſumi. Eſt præterea per deflexionem quādā receptum, ut præſcribere etiam pro obiicere præſcriptum, & excipere, præſcriptioq; pro exceptione ipſa, quæ oritur ex præſcripto, accipiatur, ut. ff. de pręuarica. l. iii. & de excep. l. modeſtinus. & l. qui agnitis, Et. C. quib. nō ob. lon. temp. præſcri. l. ſi poſſeſs. & Ne deſta. defunc. l. ſi pater. Quod autem hinc iterum detorta ſignificatione, dicatur: præſcribere fundū, pro eo quod eſt uſucapere, ſeu poſſidere, & fundi præſcriptio, pro præſcipti temporis poſſeſſione: id neq; à Iuſtiniano, neq; à uetuſtioribus, uſurpatum inuenio. Dicet quiſpiā. ponamus huiuſmodi uerborum ſignificationes, ſicuti dixiſti, olim receptas: iam quando ut aliter

accipiantur inoleuit cōmunis uſus qui proprieta te potentior eſt.l.anniculus, &.l.in uſucap.ff.de uer.ſig.ſuperuacuum uidetur, exoleta in mediū reuocare.Huic ego ut nō repugno, ſic tamē cō tēdo ut tali ſenſu nō interpretemur, niſi quæ poſt quam inualuit ita intelligēdi uſus, ſcripta fue runt:exemplo eius quod ſimiliter uult.Bal.in.c. i.in princ.de ſucces.feudi.His ſic poſitis, reuerta tur unde digreſſa eſt oratio:quæ lōgius fortaſſe uagata uideri poſſet, niſi quæ dicta ſunt, ad rem adeo pertinerēt, ut quod cœpimus expediri aliter non potuiſſet.

Sūma de exceptionis ſignificatu.

Igitur exceptio uno modo generale nomē, & defi nitur in.l.ii.ff.eo.quaſi.quędā excluſio quę inter poni actioni cuiuſq; rei ſolet:ad excludēdū quod in intētionē, condēnationē' ue, deductū eſt. com prehenditq; replicationes, duplicationes, & quæ ſunt ſequētia nomina, ut.d.l.ii.& inſt.de replic. §.quarū. Cōprehendit inſuper & præſcriptiōes, uelut alterā ſui ſpeciē.ut.C.de.ann.exc.l.i.&.ult. de præſcr.lon.tēp.l.pen.de præſ.xxx.ann.l.cum notiſ.§.illud.& inſt.de exc.§.quarū.Altero uero modo exceptio eſt tāquā eiuſdē generis pars:du plici cōſideratione qua.ſ.differt.a replicationib. duplicationibus, & aliis eiuſmodi:& qua differt à præſcriptione:ubi uidelicet excipiendi ius, non à lege, præiudicio, formula, alio' ue cuiuſcunq; ge neris præſcripto, ſed ab aliqua, rei de qua agitur, perſonæ' ue circunſtantia naſcitur.

Sūma de ſignificatu præſcriptionis.

Præſcriptionē quoq; (ut ex ſupraſcriptis colligi poteſt) dupliciter accipimus. Si quæcunq; exceptio ad impediendum litis ingreſſum opponatur, quaſi iudicio formulā præſcribendo, quomodo in tranſlatiua conſtitutione utimur, ut. C. ad. l. Iul. de adult. l. adulterii: & Sen. reſcin. nō poſſe. l. perēptorias, & de rap. uirg. l. i. & de excep. l. pē. et ult. Aut ſi poſt cœptam cōteſtatamq; litem, ex lege, uel (quæ legis uicē obtinent) iudicato, præiudicio, ſcripto'ue aliquo excipiatur. ut prob. l. penultima. ff. de excep. cum aliis, ad hoc ſuperius citatis. Atq; ſub parte hac, inter alias, cōtinentur omnes de quibus eſt dictum, triennii, quadriennii. x. xx. xxx. xl. annorum, et aliæ quas temporis alicuius lapſu introduci, lege præſcriptum eſt. Latior namq; præſcriptionis ſignificatio eſt, quā ut ad temporales tantum reſtringi debeat.

De præiudicijs.

Iam præiudicia (quæ tertia pars eſt tituli propoſiti) uel ex hoc quod cum exceptionibus ponuntur, argui poſſet nō eſſe (quod nōnullis placuit) actiōes quas præiudiciales nominat Iuſtinianus. Sed agamus ratione & auctoribus certis. Glos. xxiiii. diſt. in princ. exponit Præiudiciū iuxta etymologiā præcedens iudiciū, eandē glos. imitatus Laur. Valla, dicit eſſe quaſi ſententiā quādā ante iudiciū: & dat exemplum deſumptū. ex. c. ult. xi. q. i. Veluti ſi eſſent duo de officio cōtendentes: cum lis in lōgum procedit, magiſtratus iubet interea, dum ſententiam ferat, alterum officio fungi:

gi:quaſi iudicans iam nūc ſe pro ea parte ſentire, penes quam eſſe uult rem de qua litigatur, & hoc præiudicium dicitur, quod poſsi dentē adiuuat & obeſt excluſo: hactenus Valla. Quintilianus, Præiudiciorum (inquit) uis omnis tribus in generibus maxime uerſatur. Rebus quæ aliquādo ex paribus cauſis ſint iudicatę: quę exēpla rectius dicuntur, ut de reſcisſis patrum teſtamentis, uel contra filios confirmatis. Iudiciis ad ipſam cauſam pertinentibus, unde etiam nomen ductū eſt: qualia in Opianicum facta dicūtur, & à Senatu aduerſus Milonē. Aut cum de eadē cauſa pronunciatum eſt: ut in reis deportatis, aſſertione ſecunda &c. Ex quibus Quint. uerbis dignoſcitur etiā, qua differāt & quid ſint propriè: Res iudicata, præiudiciū, & exēplū. Vt ſit hoc in aliis cauſis iudicatum. Res autē iudicata in eadē quæſtione. præiudicium uero, ubi eadem in cauſa, non tamē ipſa de quæſtione qua de agitur, ſed de aliquibus ad illam pertinentibus articulis ſit quodámodo iudicatū. Aſconii deſcriptio primo tantū Quint. generi accōmodatur, ubi inquit. Præiudicium eſt res quę cum ſtatuta fuerit, affert iudicaturis exēplū quod ſequantur. Huc ſpectat, quod in. l. nā Imp. ff. de leg. dicitur. In ambiguitatibus quę ex legibus proficiſcūtur, cōſuetudinē, aut rerū perpetuo ſimiliter iudicatarū auctoritatē, uim legis obtinere, Hinc cōmuni ſemper doctorū ſentētię inhærendū cenſuerunt in. c. nouimus. de uerb. ſig.

Quid differant exēplū: Res iudicata, & præiudicium.

Hinc in dies ex noui alicuius caſus deciſione facta in Pōtificio ueſtro Rotæ Auditorio,aut alio quopiā ſupremo cuiusq; prouinciæ tribunali,ius in poſterum in ſimiles cauſas cōſtitui uidemus. Quale ſignificat etiam Cæcil.ad Traianum, inquiens.Quid ergo debeam ſequi, rogo domine ſcribas,præſertim cum pertineat ad exemplum. Quibus de exemplaribus cauſis idem quoq; Cæcil.tractat lib.vi.ad quadratum.Alterius generis, Iudiciorum ad ipſam cauſam pertinentium, & ſequentis : plurima ſunt & facilius occurrentia exempla,quàm ut illa enarrare ſit opus. illud tantum obiter admonuerim,præcedens iudicium intelligendum eſſe:non ſolum Iudicis: & nō magis expreſſam,quàm tacitam,ſiue præſumptam ſententiam,quæ uim eandem habeat,ut prob.l.i.§.Iulianus.ff.de lib.agnoſc.l.licet, &.l. ultima.C.de acq.poſſ.&.l.ii.C.quib.nō ob lon. temp.præſcrip.Atq; iterum,iudicium nō ſolum re ipſa præcedens,ſed & quod præcedere debeat, ſui natura : ut.l. fundum, cum ſeq.ff.de excep. uel iuris prærogatiua : ut tit.C.quando ca.ci.pręiud.crim.& de ordi.cog.l.ult.&.ff.de rei uēd.l.i. §.per hanc.& inſt.de actio.§. præiudiciales . Ex quibus duplex apparet,à præiudicio excipiendi modus,aut quia alterum rite præceſſerit iudiciū, præiudicatūq; ſit,quod mouetur inſtitui amplius non oporteat.ut toto tit. ſed præſertim.l.i.ff.de excep.rei iud.&.C.res inter alios ac.l.i.&.ii.&.

Vſus præiudicij.

C.ſent.reſc.non poſſe.l.ii.Aut ne alteri iudicio quod præcedere debet præiudicetur: ideoq́; non hoc illo prius inſtituãdũ,quin potius inſtitutũ ſi fuerit reuocandũ eſſe.l.i. C.de appell.l.impp.ff. de priuil.credit.Apparet ſubinde, non eſſe præiudicium exceptionis ſpeciem,neq; excipiẽdi medium,ſed illud à quo ducitur ius excipiẽdi.Hæc hactenus,ſuper exceptionum natura,genere,differentiis,formis,& uocabulis dicta.Nunc de illarum uſu dicendum reſtat.

Quæſtio & ſtatus quõ differãt, incidãt & inueniantur.

In ſtatus cõſideratione duplex eſt difficultas,primũ ut inuenias:deinde, quia ſemper ferè plures incidunt,ut primariũ præcipuũq́; dignoſcas.Sed hic illud nõ prætereũdum,longe differre, à ſtatu quæſtionem:eſſeq́; eam cognitu adeo facilem,ut ſtatim ac aliquid ad quæſtionem parum pertinens, ab eo qui dicit, efferatur,quilibet etiam imperitus, dignoſcere poſſit & ridere. quo ſpectat Martialis Hendecaſyllab. Non de ui, neq; cæde, nec ueneno: Sed lis eſt mihi de tribus capellis,uicini queror has abeſſe furto. Hoc iudex ſibi poſtulat probari. Tu cãnas,Mithridaticũq́; bellũ.Et periuria punici furoris,Et Syllas, Marioſq́;,Mutioſq́;,Magna uoce ſonas,manuq́; tota.Iã dic Poſthume de tribus capellis. Status uero cognitio,difficilis eſt adeo,ut peritos etiam plerũq; fallat:&(quod dixit Cæcil.)fieri nõnunquã poteſt,ut genu ſit,ubi iugulũ putemus.Sit ergo quęſtio,de quo Iudex diffinitiue pronunciare

Ratio diffinitiuæ Sent. & Interlocutoriæ

debet. Status autem ſuper quo diſputãdum eſt, & quo probato uel confutato, in hanc, uel illã partem de quæſtione pronũciari oporteat. Quæſtio ſemper eſt aperta, neceſſe nãq; eſt, ut aperte Actor concludat quid petit, uel quas pœnas à Reo exposcit. Accipio autem hoc ſermone Actorẽ, quicunq; iudicium intendat, & Reum, quicunq; ſit Actori aduerſarius, iux. l. in tribus. ff. de iudiciis. Actoris igitur intentioni Reus ſi non contradiceret, aut potius conſentaneum aliquid reſpõderet, pro confeſſo haberetur. ideoq; nec quæſtio fieret: nec ullæ iudicantis in eum partes eſſent. l. proinde. in fi. ff. ad. l. aquili. Statim uero ac repugnãs, & cõtrariũ aliquid ſubdit: nec patitur lõgius progredi, naſcitur quæſtio. In coniecturali, ex ipſa ſtatim intentione & depulſione, oritur cũ quæſtione ſimul & ſtatus. Exemplũ, depoſui penes te pecuniam, quam peto mihi reſtitui. Si reſpondeatur, negata cauſa. Nõ depoſuiſti. quęſtio ſimul & ſtatus eſt coniecturalis, An depoſuerit. In cæteris conſtitutionibus: præterea ratione firmanda Rei depulſio, & intẽtioni Actoris replicãda Inſimulatio, ſeu firmamẽtum addendũ & nõnunquam ulterius, depellendò, & firmãdo procedendum eſt ut ſtatus oriatur. quapropter in. l. ii. ff. de exc. & inſt. de replic. habetur. Accidere interdum: ut exceptio quæ prima facie iuſta uidetur: inique noceat: quod cũ accidit, alia allegatione opus eſt adiuuandi Actoris gratia, quę repli-

catio uocatur. Rurſus interdum euenit ut replicatio quæ prima facie iuſta eſt, inique noceat, quod cũ accidit, alia allegatione opus eſt adiuuandi Rei gratia, quę duplicatio uocatur. Sed & cõtra duplicationem ſimiliter dari ſolet triplicatio: & contra triplicationem, quadruplicatio, & deinceps multiplicãtur nomina, dũmodo Actor, modo Reus, iis quę ab altero dicta ſunt, aliquid obiicit. In coniecturali hæc (ut dixi) non accidunt, cum non facti, nulla ſit à parte defenſoris producẽda ratio: facti uero quod arguit, teſtes ta bulasq; potius dare Actorem oporteat. Sed pro euidentiori horum demonſtratione, ponamus exẽplum, ut eſt in. l. ſi mulier. ff. quod metus ca. Liberta, quæ patrono centum promiſerat, nolẽte ſoluere, agit patronus, & petit centum ſibi ex promiſſo debita. hęc intentio. Depulſio mulieris eſt, negata concluſione: iure non deberi. quæſtio. Debeantur ne iure. Super hoc iudex pronunciaturus eſt. ſed quia mulier non ſimpliciter factũ negauit. & quod dixit, non eſt ex ſe probabile, neceſſe eſt rationem addat quare dixerit, iure non deberi. ideo ſubdit. Metus enim cauſa promiſi, ne in ſeruitutem redigerer, qui iuſtus eſt metus. l. ego. ff. quod met. ca. Hic ſi actor depulſionem ipſam ſilentio præteriret, aut non repugnãs aliquid referret, cũ metus cauſa geſtũ nullius ſit efficaciæ. l. i. ff. eo. & c. ueniens. ii. cum ibi not. de ſponſal. iam intentione ſubuerſa, cauſa non ſub-

Exẽplum ſupradictorum.

ſiſteret. Sed fingamus eũ negare metũ interueniſſe, Coniectura erit, interceſſerit nec'ne metus. Quod ſi nõ quidẽ id neget: ſed addat intentionis firmamẽtũ: quod liberta ingrata facta, iure metus ſibi ipſa cauſam intulerat. l. ii. C. de libert. & lib. eo. Si hoc admittat mulier, cauſam tamẽ ſuſtinẽs contendat, nõ iccírco promisſionem metu factã non eſſe irritã: ſtatus erit qualitatis, unde tota pẽdebit quæſtio. Iurè ne debeat mulier promiſſum metu cui ipſa cauſam dederat. Sin uero negaret ſe ingratam, iam iterum ſtatus eſſet coniecturæ. At ſi neget id quidẽ, ſed amplius ſubiũgat quod proxime dixerat, ſtatus erit duplex. An promiſſio facta metu, cui promiſſor cauſam dederat, iure teneat? & An egerit hæc mulier ingrate, metusq; ideo ſibi cauſam prȩſtiterit? Poſſet & in plura diduci, ſed hæc exẽpli gratia ſufficere uidẽtur. Ex quibus & illud perſpicitur, quod uti quæſtio cũ prima Rei ad litẽ cõteſtandã ſufficienti reſpõſione depulſione'ue oritur, ita ſtatus, non modo ſemper à depulſione (quod quidam uoluerunt) ſed neq; a Rei parte ſemp proficiſcatur, niſi quis Actorẽ dum replicat Rei locum ſubire dixerit: ut. l. in exceptionibus. ff. de prob. Dignoſcitur item ſtatum non eſſe illud, quod præcipue probatur, ſed illud cum quo probatur: omnia ſiquidẽ in ſuperiori exẽplo deducta ſunt ad probandũ. Deberentur'ne iure centum: quæ erat propoſita quæſtio. Et hæc pro ſtatuũ inuẽtione dicta ſint.

Plures autem ſtatus, ſi procedant ex pluribus actionibus eadem intentione cumulatis: iuxta tradita in.l.editi.C.de eden.per ſe quilibet tractādus erit. Si autē ſuper eadem quæſtione plures inciderint,perſcrutari oportebit,ſint'ne æque principales:an unus principalis,alter inferior, & coadiuuans,uel incidens. Principalis eſt,quo cōfutato,uel confirmato,de quæſtione pronunciari oportet. Erunt ergo in præmiſſo exemplo æque principales,ordine quo formati ſunt,duo:coniecturæ,& qualitatis ſtatus,ordine(inquam) quia ſi non probet mulier interceſſiſſe metum, illico ruit depulſio, ſed & ſi id probet:nec ab ingrati nota excuſetur,diſcutienda erit qualitas,& illa expedita,pronunciandum,debeantur'ne ex illa promisſione cētum. Inferiorem & adiuuantem uoco ſtatum, quencunq; ſuperiorū aliquē cōprobādi,uel confutandi cauſa perſequimur:ut ſi in priori pro liberta ad probandum metum,uel in ſequēti pro patrono,ad probandum illam ingratā adlatis argumentis:uiciſſim negaretur ex illis talia inferri:& diſceptādū eſſet,argueretur'ne ex illis metus,ex his mulier ingrata. Incidētes nomino quicunq; articuli extra primam quæſtionē,inter moras iudicii naſcantur,ut ſi quid lite pēdēte innouatum,ſi litis inſtantia peremptæ, appellatio deſerta,uel quid ſimile, diceretur. Et hactenus quantum uidetur ad dignoſcēdū ſtatus attinere. Cum autē exceptionū, replicationumq; ratio, &

De plurium ſtatuū diſcretione:

Statuum genera tria.

De fine. deq; triplici excipiendi rõne.

finis,nihil aliud eſſe uideatur:quã apte quod ad=uerſarius obiicit excludere,& ſi opus erit propoſitam quæſtionem diducere in plures: utcũq; ex antedictis apparere poſsit:adhuc tamen id uide=mur facile facturi, Conſideratis primũ uerbis ipſius quæſtionis.deinde his quæ uerbis,tum ſui quaſi natura,tũ conditione & circunſtantia quadã continentur.quæ cõmodius mihi uideor exẽ=plo oſtenſurus.illud præmiſero,quod ſicut nulla ferè quæſtio eſt,quæ nõ in plures diduci poſsit, ita id nõ incidit ex omnibus uerbis in omni quę=ſtione,ſed in quibuſdã alia,in quibuſdã alia,ſunt aptiora.Itaq; non credat quiſquam,dũ ſerio agi=tur,per omnia circumeundum eſſe,& in omni=bus cauſis ſcrutanda ſingula, & uelut hoſtiatim pulſanda,niſi diſcentibus,& his qui uſu carent. alioqui(ut Quint.ait)infinitam faceret res ipſa dicendi tarditatem,impedimentoq; potius eſſet. Quin & inuentorum diligẽtiſsimus ſemper ha=bendus eſt delectus, ne quæcunq; effundamus uti ſolent copiæ amatores quidam,qui ſuæ illi copiæ addicti,tantum numerant,non iudicant. Igitur ſtudio quoq; uelocitatem quandam animi, præter eam quæ à natura ingenita eſt compare=mus oportet,qua rectà feramur ad ea quæ magis cauſę conueniunt:pleraq; enim nihil, aut mini=mum conferent:alia contra,totum uictoriæ ro=bur in ſe continebunt,circa quæ diligentius in=ſiſtendum.

Exemplum.

Sit exemplo,ſuperius poſita quæſtio:

qua

qua(licet arida quodãmodo & ſterili)in multas diffuſa, facile erit,in multo plures ſpargere,quæ fœcundiores erunt. Debeantur'ne iure centum patrono,à liberta promiſſa,ne in ſeruitutem redigeretur. Quęſtio eſt ex genere qualitatis, præcedunt igitur priora,An ſit,Sit'ne hoc illud,ſubſequiturq; An in iudicium duci debeat,unde trãſlatio dicitur,quã(ſublatis iam formulis, & actionũ interpretationibus,per.l.i.&.ii. C.de form.) ſi conditio cauſæ patiatur,ſemper tentandam duco.Itaq; poſtquã conſiderauerit,qui pro muliere aget,An hæc mulier,hoc modo,hoc loco,hoc tépore,coram hoc iudice,ab hoc aduerſario,in iudicium trahi posſit:adſumat quæſtionem coniecturæ:ad illamq;,huius quæ propoſita eſt quæſtio, uerba conferat. Verbum debeantur,cũ prædicetur de centum promisſis, nõ faciet hic ex ſe quæſtionem,ſed quæretur,An fuerint promiſſa centũ, an,ne in ſeruitutem redigeretur,ubi hæc ſatis diſcuſſa fuerit, adſumat diffinitiuã,in qua erit adiumento uerbum,debeantur. An ſcilicet ex hoc promiſſo,iure debitum ſit dicendum. Poſtremo ipſius qualitatis partes attingẽdæ.An iure debeatur promiſſum à liberta patrono,& an,ne in ſeruitutem redigeretur.Hęc dicta ſint pro uerborũ conſideratione.Quæ autem ſui natura continentur in uerbis,ſic conſiderabimus.Debendi uerbo neceſſariũ eſt antecedens obligatio.Dictio, iure, uidetur poſſe referri ad id,quod intelligitur cum

uerbo, ut ſit'ne obligatio, ex qua deberi iure poſſit. Patronus & liberta, nomina correlatiua, ſimul diſcutiētur, fuerit'ne hic dominus, illa ſerua, & manumiſſa. Reliquæ dictiones, quia pro cauſa promiſſionis poſitæ ſunt, erūt unius dictionis loco, & uidebimus. An homo liber in ſeruitutem redigi poſſit. Conditione quadā inſunt uerbis, quę in ſingulis controuerſiis, rerum & perſonarum circūſtantiis cōſideratis, occurrunt diſceptanda. ut ſi dicat liberta ſe pauperē & nō ſoluēdo eſſe, propter eaq; nec debere: iuxta illud. Sexte nihil debes, nil debes Sexte, fatemur. debet enim ſi quis ſoluere ſexte poteſt, & id genus ſimilia. Quæ cum in propoſito exēplo, abſq; perſonis certis bene conſiderari non poſſint: utilius futurum uidetur, ſi certū, atq; bene notum aliquod ponamus exemplum, quod omnibus antedictis accōmodari poſſit.

Itē omniū dictorū exēpliū ex cauſa matrimonii Anglici.

Queritur apud ſummū Pont. Angliæ Regina, Henricum Regem maritum ſuum, poſt legitime inter eos contractum matrimonium, poſt diuturnam cohabitationem, poſt ſuſceptā prolem, iniuſte à ſe thorum ſeparauiſſe. Regis excuſator ante omnia iudicium transferre uult, uideamus ergo quid faciat. Summū Pont. iudicē omnibus cōpetentē, recuſare non poteſt, aduerſariæ perſona ſibi non opitulatur: modus agendi legitimus eſt, tempus conueniens: quod igitur reſtat, obiicit. Regē regni cura legitime impeditum, locum ad quē citatur (quippe Vrbem Romā) propter regiones

& loca hoſtilia quæ prætereunda eſſent, ſibi non eſſe tutū: ideoq; nec iudicio (Romæ quidē) adeſſe debere. Si Reginę patronus præiudicium opponens, replicaret. Pontificē hoc iudicauiſſe, quādo re bene cognita Regē citādum decreuerat, & demum ſi quocunq; modo aduerſarii depulſionē negaret, iam conſtitueretur cauſa: ſed quia concedens hoc, progreſſus, dicit. At procuratorem mittat, cui Regni cura non impedito, liberum quoq; iter erit. adhuc cum non repugnēt ipſorum dicta, cauſa non cōſiſtit. Subdit excuſator, in cauſa graui, qualis eſt ubi de matrimonialibus agitur: uolens per ſe adeſſe, non eſt cogendus procuratorē mittere. c. querelam. de proc. Negat hoc, qui eſt pro Regina, procedere in Rege, & conſiſtere incipit, nec patitur ulterius ꝓgredi, fit igitur quæſtio: An Rex ad cauſam grauem, iure, inuitus procuratorē mittere teneatur, Subditur ex parte Reginæ ratio. Regis enim perſona eſt illuſtris, cui & ſi uellet, non licet per ſe ſtare in iudicio. l. quicunq;. C. de proc. Ex quibus conſtituitur, à tranſlationis capite deſcendens, legum contrariarum ſtatus ortus ex repugnātia legū, quarū altera dicit. Nō poſſe inuitū quēquā cogi procuratorē in graui cauſa conſtituere: altera, non poſſe illuſtres per ſe cauſis adeſſe: ſed ut per procuratores agant. Quibus uero ex locis ad huius, & reliquorum ſtatuum confirmationem, & confutationē, propoſitiones elici poſſint: diligentiſſime omniū, quos uiderim, apud

latinos proſequtus eſt Trapezuntius:quẽ(ne uer ba tranſcribã)hac de re legendũ relinquo. Quẽadmodum nec moror,recenſendis locis ex quibus propoſitionibus ipſis confirmãdis,rationes cõquirendę ſint,cum eo ſpectent tot numero,poſt rhetores,& dialecticos,a noſtris quoq;,topici de argumentis,& argumentationibus,ęditi tractatus. Ponamus ergo(ut uere fuit)de præcedenti articulo Pontificem interlocutum. Vt Rex procuratorẽ mittere teneretur. Iã expedita tranſlatiua & actionis cõtrouerſia,deueniendũ eſt ad quęſtionẽ principalem. Faciamus patronũ Regis,negare iniuſtã eſſe thori ſeparationẽ,quæſtio erit. Iuſta'ne ſit thori ſeparatio, per Henricum Angliæ Regem à Catherina Regina. ſuper hoc erit ſententiã promulgaturus Pontifex. Huc referẽda erũt omnia quæ dicentur. Additur depulſioni ratio. Nullum enim inter eos fuit matrimonium,intercedẽte affinitate,per gradũ,iure etiã diuino prohibitũ,cũ Catherina prius Arcturi, ipſius Hẽrici fratris uxor fuiſſet,leuit.c.xviii.& xx. Hic regina quæ iam in matrimonii & thori poſſeſſione fuerat, ſi mallet de poſſeſſorio tantum decerni(quod interdũ cõſultius eſt.l.is qui.ff.de rei uend.)cum ratio depulſionis petitorium implicet, præſcribere poſſet, ut poſſeſſorium præcederet,& ne illi pręiudicaretur:de conſag.& affin.c.ii. & de ordi. cogn.c.i. Verum quia liberaliter agens id conceſſit, & replicando,intentioni adiecit firmamentum dicens,

non modo id iure diuino non prohiberi:ſed etiã permitti:ſi frater ſine liberis,ſicut Arcturus, obiiſſet:deuter.c.xxv.addens præterea Iulii Papæ cõdonatione affinitatis impedimẽtum,ſi quod erat, ſublatum fuiſſe. Et regius patronus duplicando dixit. Non potuiſſe Iulium Papam impedimentũ iure diuino præſcriptum cõdonare.ſubdẽs, quod etiam ſi potuiſſet id Papa,cauſæ tamen in literis poſitæ non ſufficerent:iam conſiſtente cauſa, tres orti ſunt ſtatus:quos in tota oratione ob oculos uerſari,& ad ipſos argumenta referre oportebit. ſunt autem hi. Eſſet'ne iure diuino prohibitũ Hẽrico Regi relictam fratris ſine liberis defuncti, uxorem ducere? Potuerit'ne illo Iulius Papa ſoluere? Sufficiãt'ne cauſæ in literis expreſſæ? Hic uides omnia duci ex cauſæ & perſonarum circũſtantiis,quæ uerbis inſunt,quod in ſuperiori exẽplo,de patrono & liberta in genere,poſito contingere nõ poterat. Quod ſi & in hoc ſingula cõſiderare uelimus,ſpargetur in quæſtiones plurimas. Eſto enim Regẽ non poſſe in dubium ducere:an ipſe ſit, an ſit Catherina, an thori ulla ſeparatio. Negabit ſe cum Catherina thorũ habuiſſe, quod neceſſitate naturæ continetur in dictione,ſeparatio,negabit ſeparatum, Dicet non eſſe hoc thori ſeparationem,ſed à peccato receſſum. Contra negabit Regina fuiſſe Arcturum, eumq; ſuũ maritũ atq; Henrici fratrẽ,& ſimilia plura. Hæcq; quo ad ſtatus principales dicta ſufficiant. At ſi neget Re-

gina(exẽpli gratia)libro Leuitico ius diuinũ cõ-tineri. Rex uero dicat literas Iulii falſas, & cau-ſas in illis expreſſas, nõ ueras. hinc ſurgẽt ſinguli ſtatus inferiores, ad eos qui magis principes ſunt comprobandos, confutandos'ue. Cæterum quia dum cauſa hæc agitur, Rex Annã mulierẽ ſuper-induxiſſe fertur. incidit quæſtio. quoniam Catherina præſcribit. Matrimonium, quod lite ſecum pendente, cum Anna contractum eſt: irritum pronunciari: & interim prius iudicium quieſcere de-bere. fit ſtatus incidens, circa quem totidem, quot dicta ſunt, iterum conſiderari poſſunt.

Ne uero quiſquam exiſtimet, uoluiſſe me notare ſummi Pontificis Clementis ſententiam, qua ma-trimoniũ inter Henricum Regem, & Catherinã ualidum & canonicum, ac prolem legitimã eſſe, ipſumq; Henricũ ad cohabitandũ cũ Catherina, & eam coniugali affectione tractãdũ, teneri, pro-nunciauit. Quandoquidẽ, ſi, uti ego poſui, cauſa fuiſſet acta: non cõueniebat de matrimonio quic-quam dicere: cum de thori ſeparatione tantũ fuiſ ſet propoſita quæſtio. Is ſciat meo arbitrio ſic po-ſitum, ſed re uera cauſam aliter actam. Rex enim primus ad iudicium prouocauit: & cõſcientiæ(ſi cut aiebat) zelo ductus, petiit declarari nullum eſ ſe matrimonium, iudicibus deſuper in Anglia per Pontificem delegatis: à quibus appellatõ per Catherinã Pontifice, cauſa Romæ, ſicuti dixi, ter-minata eſt. Idem dictum uolo de tot clariſſimorũ

uirorum libris partim pro Rege, partim pro Regina, ſcriptis, in quibus ſi quemadmodum à me factum eſt, cauſa ponatur, multa ad rem nihil facientia ſcripta, multa neceſſaria omiſſa: uel parum commode dicta, notari poſſent. Sed hi quoq; maiori ex parte pro uoluntate quiſq; ſua, punctũ ſibi propoſuerunt. Neminem itaq; carpere uolui: ſed tantum ad rem meam hoc exemplum accõmdaui.

DE VSV IVDICIORVM PALATII APOSTOLICI EX EPISTOLA QVADAM.

ANTONII MASSÆ GALLESII AD N. AMICVM.

REQVIRIS conſilium meum, de aduẽtu ad urbem tuo, cupiens ex iuris peritia, parare hic tibi honeſtum aliquod uitæ ſubſidium, aduerſus iſtas patriæ tuæ calamitates. Poteram (quod forſitan amicitiæ noſtræ ſatis eſſet) laconica illa reſpõſione ſatisfactum putare, ſi reſcripſiſſem. Non. Veruntamen ut mihi etiam hac in parte ſatisfaciam, ne alioqui uideri poſſim amiciſſimo uiro temere conſilium dediſſe, utq; ſimul quamplluribus proſim, quos eodem capi deſiderio cõtingat, uolui conſilio rationes addere. Eſt profecto Romana hæc Curia quaſi portus & refugiũ quoddam omnibus illis qui laudata qualibet arte, uel ſcientia ſint, & uirtute præditi. nec ullum eſſe inter Chriſtianos locum autumo, quin & pro comperto affirmo (dicant inuidi & maleuoli quod lubet) ubi æquè probitatis & doctrinæ ratio habeatur. Sed multi non redigentes ſibi in memoriam, quales ipſi ſint, quo ueniãt, quidnã ſibi con-

gruens,

gruens, hic ſint acturi, imprudenter huc currunt, ubi poſtea tanquam implumes uolucres ab ince pto uolatu decidẽtes, dant in conſulti aduẽtus pœ nas, dum & infra ſuam dignitatem hic uiuunt, & ad patrias terras uitioſa quadam uerecundia impediti, redire non audent, fortunam interim, aut Curiæ mores iniuſte accuſantes. Huic ego hominum generi uniuerſo (quod humanitatis of ficio conueniret) proſpectum per me eſſe deſide- rarem. Sed quoniam multæ ſunt ſcientiæ, mul- taq; artificia, ex quibus diuerſi diuerſa profiten- tur, quod cupio, exequi prorſus non ualens, me- mor antiqui adagii, ut quam quiſq; norit artem, eam tractet. iis tantummodo ſcribam, qui exer- cendæ iuris peritiæ gratia huc ſe conferre in ani- mum iuduxerint.

Iuris igitur peritorum hic quidam iudicant, alii ſunt iudicibus à conſilio, nonnulli uero litigatori- bus operam præſtant. qui trium ſunt generum. Aduocati. Procuratores, & Solicitatores uulgo dicti. Hi ſunt qui ſedulis miniſteriis incumbẽtes cauſas norunt & tuẽtur ut ſuas. Aduocati ius ſug gerunt. Procuratores inſtruunt cauſas & ex fa- cto informant, id ſolum quod eſt Aduocatorum non faci ũt, iuris allegationes. Ad hęc officia qui- libet etiam laici & coniugati admittuntur. Pro- curatores & ſi non recipiant in ſuum collegium, niſi iuris doctores, & illos uita & moribus proba tos atq; in agendis cauſis hic aliquandiu laudabi-

liter uerſatos, facto etiam ſuper ea re ad interrogata reſpondendi, ſolenni quodam periculo, ipſorum tamen certus non eſt numerus. Aduocatorum numerus eſt duodenarius, hiq; niſi iubente Pontifice, ac publica diſputatione peracta, non recipiuntur, de iis loquor, qui, quod in Pontificale Conciſtorium aduocationis gratia aditum habent, Conciſtoriales dicuntur. nam ſunt & extra illum ordinem iuris doctores pleriq; Aduocatorum officium exercentes, ſicuti & procuratorum, qui non ſunt in illorum Collegia recepti. libera eſt enim Ciuitas, ita ut in ea liberum ſit unicuiq; in rebus per ſe licitis, utcunq; libeat ſe exercere. Sunt prꝛterea fiſcalium cauſarum, ac pauperum Aduocati & Procuratores, qui à Pontifice conſtituuntur, & habent ex fiſco certum ſalarium. Sunt item Referendarii, quos ex Prælatis Curialibus qui ſint iuriſperiti deligit ſibi Pontifex incerto numero, quorum officium eſt, ſupplicum poſtulata Pontifici referre, omni penitus cuiuſcunq; generis mercedis acceptione ſibi interdicta. Iis delegat extra ordinem Papa cauſas certas. Sunt & duodecim uiri formandis bullatis literis præpoſiti, nuncupati Abbreuiatores, ſed hoc officium eſt ex iis quæ magno prætio ueneunt, & conſtat magis ex diuturno quodam eiuſmodi rerum uſu, quam ex iuris peritia.

Iudices Vrbani, excepto Senatore & aliis, qui

in Capitolio ciuium & incolarum ſecularis fori cauſas iudicant, ad cætera tribunalia non admittuntur, qui ad eccleſiaſtici fori cauſas iudicandas, non ſunt idonei. Ab his igitur excludit te uxor. in Capitolium uero ut adſcendas, non eſt cur tantopere labores, modico interuallo deſcenſurus, quum pro more Iudices ibi ad breue tempus mutentur. A conſilio ſunt, ii quos uulgò uocant Auditores, & Cardinalibus, & Cameræ Clericis (quos Pontificii fiſci Quæſtores aut Procuratores diceres) & aliis quibuſdam Prælatis. Sed quoniam illi plerunq; ſunt iuuenes, & in Curia nouitii, occupantes illum quaſi aditum, aut ſpeculam, ex qua ſpectare ſimul, & ſpectari poſſint, inoleuit uſus quidam, ut abſq; mercede certa, dominorum (ita enim appellant) quibus inſeruiunt, liberalitatem expectent, ea tibi expectatio non eſſet opportuna.

Solicitator ut fias, non conuenit ætati tuæ, utpote quæ huius uitæ medium curriculum iam confecit. quandoquidem officium illud, ob ſcriptitandi, deambulandiq;, uel potius ſolicite per tam ingentem Vrbem diſcurrendi aſſiduũ laborẽ, ualidum exigit corpus & robuſtum. præterea hoc artis procuratoriæ quaſi proludium, ſicuti aliarum artium rudimenta, quæ fiunt magnificentius quã diſcuntur, iuuenile quiddam habet, ipſa prima iuuentute deuorandum.

Idoneus quoq; Procurator ne euadere poſſis, eadem obſtat ratio. nam ſicuti adoleſcentuli caſtrenſibus imbuti ſtipendiis, bene imperare parendo, & bonos duces agere dum eos ſequuntur, aſſueſcunt. & qui clauum tenent ex remigibus aſſumuntur, optimæ deniq; cuiuſq; artis periti euadere cupientes, conferunt ſe ad illos, qui eam artē docere poſſint, ita procuratoriæ huius facultatis nemo unquam peritus euadet, qui à maiori aliquo, non auribus modo, uerum etiam oculis non perceperit quæ ipſe mox agenda ſit ſuſcepturus. Quod eo magis hac in Vrbe neceſſarium eſt, quod non unius, aut alterius tantum, ſicut in compluribus aliis locis, ſed omnium generum cauſæ tractandæ ſunt quamobrem præter iuris peritiam, longa opus eſt uſus iudiciarii tractatione, atq; agendi exercitatione. ex quo & illud fieri exiſtimo, quod rariores inuenias Procuratores, quam Aduocatos, bonos. Non negauerim eſſe audaculos quoſdam, qui ex peritioribus neminem ſectati, officium procuratoris uſurpent. ſcilicet figulinam (ut prouerbio dici ſolet) exordientes de dolio diſcere. Atqui te ex illorum numero eſſe minime uellem. quoniam, pace illorum ſit dictum, neceſſe eſt eos homines eſſe perfrictæ frontis, ac perditæ conſcientiæ. quando ingerunt ſe adeo temere agendis rebus quarum non habent peritiam, facturi experimentum inſcitiæ ſuæ periculo miſerorum clientūm, quos inuerecunde pro-

dunt. nihil tandem aliud quam riſum de ſe periſtis præbentes, dum quod ab initio ſtatim præripere ſibi uoluerunt, neq; ab aliis impetrare unquam poſſunt ut in numero Procuratorum, eorum (inquam) qui aliquo ſint in numero, habeantur. neq; ipſi ut ſint, opere præſtant, ſed ſemper uelut in tenebris palpitãdo, huc atq; illuc ſe uertunt, incerti quo dirigant greſſus. atq; ideo ab omnibus ferè dignoſcuntur, his potiſsimum ſignis. Siquidem nõ conſiderato ab initio, neq; intellecto cauſæ ſtatu, ac fine iudicii, emendant ſæpe porrectũ libellum, aut quod ſit ipſius libelli loco, faciunt frequentisſime proteſtationes, plerunq; etiã actis contrarias, exhibent ſæpe articulos, tum mox corrigunt, deinde dant additionales, ſemper ueriti ne ſit ad uictoriam non ſatis dictum, abiurant erroris prætextu prius aſſerta & confeſſa. ad extremũ à iudice, uel ab aduerſario, uel à peritiori aliquo, de nullitate (ut nunc loquũtur) uel difficultate quapiam admoniti alium exitum non inuenientes, ſicuti olim mali poetæ, ſiquis forte nodus fabulæ incidiſſet, Dei perſonam quæ nodum illum mirifice ſolueret introducebant, ita & hi de quibus loquor procuratores, quotidie Pontificis & Cardinalis qui iudicialibus præeſt ſignandis libellis aures obtundunt, flagitantes, ut edito reſcripto, nodi ſoluantur, difficultates declarentur, nullitates reiiciantur, miracula demum promantur. atq; his & ſimilibus ad cauſæ merita nihil attinenti-

bus, implentur ab his Regeſta, uacuantur autem miſerorum clientum crumenæ. Hos igitur nos miſſos faciamus, & imitemur bonos, apud quos etiam antiquitus nemo eſt inter egregios cauſarũ patronos connumeratus, quem non conſtet iuuenem prius ad antiquiorem aliquem cauſidicũ deductum, illumq; ſectatum eſſe, in quo uno ſectando, ſimul omnes eiuſdem ætatis patronos in plurimis, & cauſis & iudiciis cognouerit, deprehenderitq; quid in unoquoq; uel probãdũ uel improbãdum eſſet atq; ita experimentis alienis eruditus, & aſſuefactus cauſarum patrociniũ ſolus in ſe ſuſcipere ualeret. Quanquam ueteres illi cenſuerunt nullum eſſe idoneum cauſarum patronum, qui philoſophiæ quoq; ſolidis ſententiis, aliiſq; honeſtis artibus imbutus non eſſet, qui poetas, qui oratores non legiſſet, qui non aliquam ex hiſtoriis antiquitatis memoriam collegiſſet. Ego uero, tametſi uideantur illa omnia ſplendida quædam, & utilia eſſe plerunq; ornamenta, quoniam ea (neſcio quo fato) cum iuris peritia in noſtri æui hominibus raro eſſe contingit, pro huius Curiæ, atq; Rotæ præſertim Auditorii, de quo ſum poſtea dicturus, iudiciorum uſu, tolerabilem fore exiſtimo Procuratorem, qui iuris tum ciuilis, tum canonici peritus, non rudis etiam neq; imparatus ab exercitationibus neceſſariis accedat, ſine quibus multi ſummam quidem iuris & legum ſcientiæ doctrinam afferentes, cum ad

actionem peruentum eſt, exercitationis imperitia, pulchritudinem eius doctrinæ corrumpunt. Quanti autem facienda ſit hęc, quam exquiro, exercitationis & uſus peritia, nedũ ex antiquo prouerbio planum eſt factum, cum uulgò dici ſoleat. Exercitatio rerum omnium hominibus fit magiſtra, ſed & in hac ipſa de qua loquimur facultate declarauit Gallus Aquilius, qui cum iuris ciuilis omnium ſuæ ætatis peritiſſimus eſſet, ſiquis tamen ad eum quid talẽ retuliſſet, ut de facto quæreretur. Nihil hoc ad ius, ad Ciceronem inquibat. & Q. Scæuola clariſſimus legum interpres & certiſſimus, qui quotieſcunq; de iure prædiatorio conſulebatur, ad Furium & Caſellium, quia huic ſcientiæ dediti erant, conſultores reiiciebant, atq; ipſe Cic. qui de aqua ſua Tuſculana M. Tugionem potiuſquam C. Aquilium conſulebat, cõfitendo ſcilicet ab iis poſſe negociũ aptius explicari, qui quotidiano illius uſu calleant.

At dices, inter Aduocatos eſſe, cur nõ potero? quãdoquidẽ hi (ut dixiſti) nihil aliud quã iuris allegationes faciunt, quod & ego hic meis cõſultoribus præſto, atq; illis plerũq; in Romana iſta Curia litigãtibus. Reſpondebo equidẽ bona fide qđ ſentio. Aduocatus eſſe poteris, nõ tamen ita conſeſtim poteris, ut res tuæ domeſticæ forſitan exigũt. Nam præter eximiam iuris ciuilis doctrinã, ſine qua (tãta eſt ſemper hic uirorũ impenſe do-

ctorum undiq; confluentium multitudo) nemo unquam inter alios caput extollit. præterea conterendi tibi erunt aliquot & menſes & anni, ſimul ut iuris canonici, & uſus cauſarum fori eccleſiaſtici (quæ hic frequentius tractantur) peritiam (quam, ſi uera loqui licet, nemo, quamlibet is doctus fuerit, unquam ſecum huc attulit) adipiſci queas. ſimul ut cum doctrina quam tecum afferes, imbuas etiam Curialitatem (neceſſe eſt utar hoc uocabulo quum aliud rem ipſam exprimẽs non habeam) antequam Aduocatum profitearis, & iuris allegationes edas. Nam ut in ſchola, & in familia recentisſimus quisq;, tanquam rudis, conſeruis & condiſcipulis, ita callidis Curialibus hic, non iuriſperiti modo, ſed & alii quicunq; nouitii ludibrio ſolent eſſe, ſi qui ſint, qui antequam bene cognitas habeant populi huius aures, & uitæ conſuetudinem, uel de hac agendi & uiuendi ratione, quam ignorant, uel de ſua quæ hic rudis haberi ſolet, loqui pergant, quin & illos indigentes, & iuris peritos interdum ioci cauſa, Doctores de partibus, uocant. Roges fortaſſe, quid nam hæc ſit Curialitas, qua qui careant, appellentur indigentes? neſcio inquam, tantum eſſe quiddam ſcio, quod explicari facile non posſit, ſed ad rem noſtram ſit maxime neceſſarium. id tu quoq; intelliges, ſi reiecto conſilio meo ueniens, hic aliquandiu uixeris. uidebis enim & Iuriſconſultos, & alios o mnis generis Curiales, quaſi coloratos eſſe

Vrbanitate

Vrbanitate quadam, ita ut in ſuis quiq; artibus, ab externis artificibus dignoſci facile posſint, & ueniet fortaſſe tibi in memoriam, uel tragicus ille Ion, Græco ſermone in hunc ſenſum, dicens. Ex Athenis me quæ peperit, utinam ſit mulier. Vt mihi eſſet, à matre libertas loquendi. Puram enim ſi quis in Ciuitatem inciderit hoſpes. Quãuis uerbis ciuis ſit, & os tamen Seruile compeſcit, & non habet loquendi libertatem. uel Theophraſtus ab Athenienſi anicula deprehenſus & irriſus, quod præ ſe ferret adhuc ſpeciem hoſpitis, cum tamen ætatem ageret Athenis, & optime loqueretur.

Ne autem ad hæc mihi tu contradicas, ſi forſitan audieris quemadmodum hic ſingulis pene ætatibus multi Iuris periti, ſiue illi cauſarum Procuratores, & Aduocati, ſiue Iudices, noui atq; ignoti, mediocri etiam doctrina, ſint pluſquam mediocres honores, amplam pecuniam, & gratiam conſequuti. fatebor ego id quidem, & addam, illorum aliquot ſine doctrina, ſine ingenio, incondito etiam, & (quod ad iuris peritiam attinet) inepto agendi modo, quæ dixi, & ampliora etiam quam credi par ſit, obtinuiſſe. Veruntamen neq; tu id quæris à me, quoquo pacto acquiri pecunia, ſed quomodo id honeſte, atq; ex iuris peritia effici ualeat, neq; ego lucro adponendũ eſſe cenſeo quicquam, quod non ſit cum honeſtate coniũctum, & ab initio ſum teſtatus, nolle me niſi de iuris pe-

ritiæ duntaxat exercitatione tractari. At ii de quibus loquimur, nomine tãtum iuris peritiam profitendo, aut inuerecunda quadam loquacitate, aut (quod multum in hac Curia pollere ſolet) tẽpori obſequendo, multorumq; uel ineptias ferendo, & honori aſſentando, uel neceſſitati interdum & periculo ſeruiendo, ad ſummam, quauis ratione, ac quibusuis artibus magis quam iuris prudentia celebres euadunt. Illi ergo ſua ſibi habeant, ego redeo ad Aduocatos. Certe alia eſt hic ratio & uia iuris allegationum, alia qua uos utimini, & qua celeberrimi etiam Doctores extra Curiam hanc, ſuperioribus annis ſunt uſi, & adhuc utuntur. Putas'ne adeo modicam eſſe hic iacturæ tẽporis curam, ut uacet nedum ſcribere, ſed uel ab aliis ſcripta legere, prolixa illa conſilia, ex præſcripta ſemper eadem formula exarata? ita ut ununquodq; illorum, quaſi poetæ alicuius inſignis liber, ſuam habeat numinis inuocationem, facti etiam à primordio repetiti propoſitam narrationem, deinde numeratam ſeriem dubiorum de quibus ſit diſputandum: poſt hæc ſequatur ad illorum ſingula, in utranq; partem diffuſa multorum argumentorum coaceruatio, congeſtis in ununquẽq; locũ innumeris penè legum, gloſſarum, & Doctorum auctoritatibus (uerentibus ſcilicet illis, ne uideantur uel de leui aliqua dubitatione, uel oſcitanter ſcribere.) Deinde ſubiungatur alterius partis cõfirmatio, alterius confutatio. & ad extremũ (quaſi

perorationis loco) in ſingula capita ex antedi-ctis collecta iuris concluſio: res ſanè (ſi uera fate ri uolumus) & per ſe frigidisſima, & (de iure præ ſertim conſulentibus) minime cóngrua. Sed quo niam non patitur epiſtolæ, ac temporis huius ra-tio, ut hac de re diffuſius eloquar, alio loco (Deo fauente) ſum oſtenſurus, quænam iuris ſcientiæ profeſſoribus, & diſputandi in ſcholis, & conſulē di de iure, atq; in iudiciis iuris ſui tuendi, ratio cō-ueniat. Hic illud tantūmodo aperiam, unde exiſti mē, illam ſcribendi & diſputandi normam à recē tioribus legum Doctoribus uſurpatam, ad nos uſq; perueniſſe, cum cōſtet antiquos illos nunquā ſatis laudatos Iuriſcōſultos longè alia methodo eſſe uſos. Fertur à uetere Academia, Peripateti-ciſq; philoſophis, inuectam eſſe conſuetudinem, de omnibus rebus in contrarias partes diſſeren-di, & quæcunq; dici poſſent ex utraq; parte, ad-ducendi. Eum morem antiquioribus non uſita-tum, poſteriorum plurimi non probarunt, nonnul li uero receperunt, ita tamen receperunt, ut ar-tium & articulorum in quibus is obſeruandus eſſet, ratio & delectus haberetur. inter eiuſmo-di artes Theologia ſit, necne, dicere nō eſt meum. illud autem certum eſt, quod eam ſcribendi & diſputandi uiam ſequuti ſunt ex noſtris iunio-res illi Theologi, qui primum Theologiæ myſte ria philoſophorum placitis commiſcuerunt, pro-poſito ſibi oraculo Ariſtotelis, quodam in lo-

co dicenti. Melius habere ſe illum ad iudicandū, qui tanquam aduerſarios, omnes utrinq; rationes audiat, eandem methodum oſtentationis ac iactātiæ plenam ab æqualibus illis ſuis Theologis, noſtri iuris Doctores mutuati, ad nos uſq; tranſmiſerunt, eo quo dictum eſt modo, nullo uidelicet rerum diſcrimine cuncta tractantes, magno equidem (niſi ego fallor) errore. quum in iis diſceptationibus quæ de iure, præſertim conſulendo, & in iudiciis, fiunt, (coniecturalibus & diffinitiuis quibuſdam cauſis duntaxat exceptis) is modus neququam conueniat. Qua uero ſcribendi & informandi uia utantur hic in iudiciis Aduocati & Procuratores non erit fortaſſe ab re ſi ſcribam, quandoquidem (ut dixi) non tibi ſoli hæc ſcribo. Sed quoniam id commode fieri non poſſet, niſi prius uniuerſa iudiciorum forma & conſuetudine demonſtrata, idcirco & illam breuiter exponere decreui. Quod eo libentius facio, ut obiter de Auditorio cauſarum Palatii pontificii, quod à Rota cognomen habet, iis qui uel hic nō fuerūt, uel hæc non animaduerterunt, ſi non omnia, quę tā multa ſunt, ut facile me quoq; fugere poſſint, aliqua ſaltem ex multis animaduerſione digna deſcribam. Ex quibus (mea quidem ſententia) illis qui rei politicæ peritiam, & hiſtoriarum notitiam habent, clarum efficietur, tribunal hoc omni ex parte inſignius, eſſe, ac prudentius inſtitutū, quam aliud ullum quotquot apud quaſuis gen-

tes uel ſunt, uel olim fuerunt. De aliis autem Vrbanis tribunalibus, non eſt opus ut aliquid dicã, ſunt enim conuenientia rationi Principatus & Regiminis huius Pontificii, quod nemõ nõn nouit. Atq; illud in primis eſt ſummopere admirãdum, quod cum alia huius Vrbis & aliarum Eccleſiæ Romanę Ciuitatũ tribunalia, & iudicia, eo ſint inſtituta, & regãtur more, quẽ ipſius Principatus & politiæ genus ferre poteſt, hoc de quo loquor Auditoriũ, longe ab ipſo Principatu differẽti ratione inſtitutũ, iam diu multis ſeculis durat, atq; (ut magis mirandum ſit) in priſtina ſua integritate perſeuerat, & non modo ab aliis huius Regiminis modũ reſpicientibus non corrũpitur, neq; à ſuo ſtatu ne unguẽ quidem tranſuerſum, mouetur, ſed potius euenit, ut reliqua ferè omnia chriſtiani orbis tribunalia tanquam à uenerando quodam exemplari, ab hoc acceperint ſui ritus normam & exemplum. Tum & illud non modica eſt admiratione dignũ, quod ex uniuerſis prouinciis, quaſi ad commune omnium tribunal, neglectis etiam plerunq; ſuorum Principum inhibitionibus, litigatores cauſas huc ſponte ſua deferunt, quas aliò, niſi coacti, non deferrent, tanta eſt apud omnes nationes de loci huius in iudicãdo fide atq; integritate perſuaſio. neq; id immerito, quando nemo eſt uel reus uictus, uel actor nõ uincens, qui de huius Auditorii ſententia iuſte cõqueri poſſit, nec quiſquam eſt, qui, ſi iuſtã habere

ſe cauſam exiſtimet, hoc iudicium non affectet. ita ut prouerbio dicatur. Malam cauſam habet, qui iudicium Rotæ formidat. niſi fortaſſe aliquis inopia preſſus, uel alio incommodo impeditus, id refugiat. Si enarrare uelim ſingulas rationes, quibus iudicia bene conſtituta conſtare uiſum eſt, uel rei politicæ ſcriptoribus, uel iis qui reſpublicas conſtituerunt, atq; illas argumentis comprobare, ſubindeq; declarare, quemadmodum in huius Collegii inſtitutione bona ſint omnia, mala abſint, res eſſet fortaſſe multis non ingrata, ſed ab inſtituto præſenti aliena: deſideraret enim iuſtũ librum, ad quem conſcribendum, tametſi uelim, neq; otium mihi eſſet, neq; facultas par, neq; doctrina. itaq; id ſolum agam, ut quaſi Logiſta uel Nomenclator aliquis, Auditorii Rotæ inſtituta & ritus, tanquã ex indice recitare tentem, relinquam autem lectorum arbitrio iudicandum, itáne ſit quemadmodum ego dico, tribunal hoc omni ex parte prudenter inſtitutum. atq; hinc mox principium ſumam.

Numerus Auditorum eſt duodenarius, non quidem ita magnus, ut non facile ac frequenter cõuenire poſſint, habens autem tot uiros, quot ueriſimile eſt omnium litium ambages deprehendere poſſe, quotq; uix dubitari queat ad ferendum iniquam ſententiam, fraude, uel errore adduci poſſe.

In eorum electione Põtifices olim non fungebã-

tur imperio Principali,ſed inuiolatam eius Collegii inſtitutionem cuſtodientes, quoties in alicuius decedentis Auditoris locum alius erat ſufficiendus,quotquot occurrebant idonei ad id munus obeundum,illos Vicecancellario, & per eum Auditorum Collegio deſignabant, ut ex eis eligerent, quem magis eſſe idoneum cõperiſſent. Auditorum deinde cura erat,ſolerter quærere de ſingulorum natalibus,anteactæq; uitæ moribus, & doctrina,accuſatores quoq; illorum & delatores audire,& quem dignum, ſeu ex pluribus digniorem exiſtimarent,eũ admittendum eſſe Põtifici referre. Sed compluribus abhinc annis,qui fuerunt Pontifices,uel quorundã eximia doctrina,uel alia quapiam ratione moti,hoc ſibi interdum ſumpſerunt,ut ex multis unum aliquem ipſi elegerint, illumq; admittendum eſſe iuſſerint. Quicunq; uero uel ſpuriis,uel alias obſcœnis natalibus progenitus eſt,qui uel ſordium, uel admisſi cuiuſpiam criminis notam inuſtam ſemel habuiſſe ꝓbatur, qui iuris(præſertim Canonici) ſcientiæ ſpecimen aliquod non dederit,is in conſortium illud non intrat. cæterum nulla excipitur natio, quin potius ea ſolet eſſe Pontificis & & ipſius Collegii cura, ut(quoad eius fieri poteſt)ex unaquaq; Prouincia, ex qua cauſæ huc deferũtur,ſit aliquis Auditor. Si plures æquè idonei uideãtur offerri,præponi ſolet is qui(eo quod hic diutius fuerit) diuturniori huius uſus peri-

tia polleat,& in uniuerſum Curiales & noti ab‐ſentibus & incognitis anteferũtur,quoniam non raro compertum eſt,iuxta prouerbium. Cognita iudicio conſtare,incognita caſu.uiſumq́; eſt,& noſtra,& maiorum memoria, multos ob ingentem iuris ſcientiæ famam ad hoc munus obeundum à Pontificibus aliunde euocatos,& magna cum expectatione aduenientes illico receptos, conce‐ptam de ſe ſpem inſigniter eſſe fruſtratos.

Poſt hæc is de quo tandem recipiendo delibera‐tum fuerit,iubetur de iure,ſemel publice , iterum priuatim diſputare,à quo periculo nulla eſt excu ſatio,nullum effugium,quod ex Baldo in. c. ſcri‐ptum uerſ.quero utrum ſemel de elect.id atte‐ſtante ſciri poteſt.& ex Felino,qui ſcribit in.c.ue‐nerabilis de exceptionibus,ſe cũ in eum ordinem fuit cooptatus,hæc omnia peragere coactũ eſſe, tametſi aliàs iuris Doctor emeritus, ultra uiginti annos ordinariam Pontificii iuris cathedram in publicis Italiæ gymnaſiis tenuiſſet.

Liberum hunc ordinem eligendi Auditores, ſi quandoq; Pontifices auctoritate ſua, ſine cauſa manifeſte reip.utili & honeſta,impediuerunt,aut turbauerunt,& aliquos impares oneri homines eum in locum intrudi iuſſerunt,mirum eſt, quam multis modis utroſq; ſimul facti pœnituerit,illos quod ob illorum male facta,in dies male audie‐rint.hos uero quod iure optimo omnibus deri‐ſui contemptioniq́; fuerint.Sed eſto ut illi ordine

turbato

turbato intruſi alias tolerabiles fuiſſent,ea tamen ex parte ſemp fuerũt ſuſpecti,quod ita ingreſſi eſ ſent,habitiq; ſunt tanquã ab uno deſcripti,nõ aũt tãquã è republica electi,qđ eſt ipſius Collegii fun damentũ & uetus inſtitutio,cauſaq; quamobrem tot iã ſeculis uniuerſæ nationes illic ſponte ſua (ſicut eſt dictũ)uoluerint iudicari. Vnde ſi & no bis philoſophando diuinare aliquid licet, quoniã naturale uidetur eſſe,contrario quo incipiunt mo do,res humanas deſinere, & nihil eſſe perpetuũ, illum fore exiſtimo finẽ auctoritatis huius tribu nalis,ubi ſinguli quiq; poſthabitis aliis æquè, uel fortaſſe magis idoneis,quadã fauoris prærogati- ua locũ illũ occupauerint,& ſuper ea re ſublata pe nitus fuerit ipſius Collegii auctoritas,ad ſummã, ubi forma electionis Auditorũ de qua dixi, in eã quæ Monarchiæ ſpeciẽ quandã præ ſe ferre uidea tur,immutata fuerit.Repugnabit enim illud ho- minũ propoſito,qui ex diuerſis prouinciis deferũt huc cauſas tãquã ex reipublicæ forma iudicãdas, peroſi(ut plurimum)ſuos ordinarios Iudices,qui ex Monarchiæ quodãmodo affectibus,ideſt Epi- ſcopis & Principibus ſuis obſecũdando, magis quã legibus,iudicant.indignabũtur etiã uiri do- cti,qui ſpe cõſequẽdi uirtute ſua gradũ illũ,ad Cu- riã undiq; cõfluũt,& illorũ gratia tota Curia & or bis uniuerſus,eo quod neglecta ueteri bona cõſue tudine,cæteris poſthabitis,unũ aut alterũ, & illos fortaſſe deteriores præponi uiderint, atq; exinde

loci auctoritas decreſcet,uetus eſt.n.uerbum. Ex hoc perire multas reſpublicas,ubi in ęquali hono re ſunt malus & bonus. & natura ita comparatū eſt,ut prorſus indigne feramus, ac uehementisſi= me conturbemur,ubi quis hoc ipſo tantum,quod uel poteſtate,uel poteſtatem habentis fauore an= tecellit,alios pręmio uult fraudare,præſertim ſi il= li ſint pares, uel fortaſſe maiores uirtute,conditio ne,fama.

Vbi uero Auditores magiſtratum ſuſceperint, eum nunquam deponunt,niſi uel tanquam eme= riti in Cardinalium ordinem cooptati fuerint, quod ſæpe contingit,uel(quod rarisſime accidit) ob crimen aliquod,uel ob inertiam ignominia ma giſtratu deponantur.

Olim ad Epiſcopatum quoq; promoti, deſinebāt eſſe Auditores.quod accidit Guilielmo,qui dici= tur uulgo Speculator,facto Epiſcopo Mimaten ſi.Egidio Bellemeræ Epiſcopo Auenionenſi, & Ioanni Epiſcopo Vaurienſi,cuius eſt ea quæ cir= cunfertur ſumma iudicialis Vaurienſis: & qui pro natione Gallicana interfuit Concilio Con= ſtantienſi.atq; aliis multis.ſcilicet ob id quod Au ditores ipſi appellātur & ſunt Papæ Capellani, quod nomen uidebatur eſſe cum Epiſcopatu in decens.ſed recentiores ut utrunq; locum ſimul tenerent,facti Epiſcopi,non amplius Auditores, ſed illorum locum tenentes cœperunt appella= ri.quod moribus prius receptum, poſtea Sixti

quarti eſt auctoritate cõprobatũ. Erant præterea inter ſe diſtincti: cum partim primi, partim ſecundi gradus eſſe dicerentur. qua de re (omnibus nunc in unum adæquatis) non opus eſt ulterius uerba facere. *ut Oldr. cõſi. cclxvij. & Tho. faſt. dubit. xlij.*

Dum recipiuntur autem obligant ſe iureiurando religioſiſſimo, quo religioſius ne ab integerrimis quidem illis Ægyptiis olim Iudicibus præſtari potuiſſe credendum eſt.

Cauſæ uero in primis ad hoc tribunal deferri ſolent eccleſiaſticæ, tum etiam profanæ, quæ ſcilicet ſpectent aut ad eccleſias, aut ad miſerabiles perſonas, aut etiam ad ſubditos temporariæ iuriſdictioni Romanę eccleſię, ſi quæ inſignioris cuiuſdã ſint notæ, priuatæ duntaxat, ideſt quæ ciuiliter (ut aiunt) & priuatis agantur iudiciis. nam de publicis cauſis & iudiciis, ideſt in quibus ad pœnam delictorum criminaliter agitur, non eſt huius Auditorii cognitio.

Habent hi quidem Auditores ad cognoſcendũ eiuſmodi cauſas iuriſdictionem ordinariam, ſed quia ſingulatim eiuſmodi cognitionem exercere aliter non poſſunt, idcirco diſtribuuntur ſingulæ cauſæ Auditoribus ſingulis, Pontificiis quidem reſcriptis, non tamen pro ipſius Pontificis uoluntate, neq; pro litigantium arbitrio, ſed ſortitò per circulum (turnum appellant) qui cuſtoditur apud eum qui pro Vicecancellario regit Pontificis Cancellariam. Olim nõn mandabatur Audi-

tori cui cauſa diſtribuebatur, niſi cognitio tãtum cauſæ, cuius inſtructæ merita, & ſuper illis Collegii reſolutionẽ Pontifici referebat, ut ſecundũ illius arbitriũ ſententia promulgaretur, quã ob cauſam tradit Speculator Auditorum eis nomen eſſe inditum. ſed ut Principalis iudicii ſpecies undiq; tolleretur, hoc quoq; iamdiu eſt immutatũ, & demandatur unicuiq; Auditori ab initio facultas etiam decidendi negocium, neq; ad ſentẽtiam proferendam neceſſe habent Pontificem adire.

in tit. de Auditor.

qd ẽt tũc ſeruatũ eẽ teſtatur Ang. in. l. q procuratorẽ. ff. de. proc. refert Martilaud. de princip. ∫. ccccxciii.

Ad illius cui diſtributa cauſa eſt, officium ſpectat, Curare ut iudiciarius ordo rite ſeruetur, utq; probationes & neceſſaria cauſæ inſtrumenta in acta deducantur. deductorũq; ac geſtorũ omniũ Regeſta ſcribantur. Regeſta inquam illorũ quæ uel ad probationẽ ex facto faciendã, uel ad iudiciariũ ordinem ſunt neceſſaria, nam quæ ſuper probatis fiunt uel facti informationes, uel iuris allegationes, pro minori litigantiũ diſpendio, in acta non rediguntur. Factis autẽ probationibus, inſtructa cauſa, iudicii forma ex terminis quos ſubſtantiales appellant, completa, & omnibus in Regeſtũ collatis, idem Auditor cuncta prius diligenter inſpicit, & ex illis tum quæ ſibi occurrunt, cum ea quæ à partibus ſuggeruntur, ſiue illa ſint ex facto, ſiue ex iure, dubia elicit, conſignanda poſtea litigatoribus ipſis, ut ſuper illis ad certũ diẽ uniuerſos Auditores informẽt. Erubeſcendum uero eſſet illi, ſiquis Auditor non perſpectis actis, ad infor-

mandum præſcriberet difficultates, quoniam ſi iis quæ uel à partibus uel à Collegis ſuis adducuntur, argumentis non occurreret, atq; in prõptu & quaſi in numerato non haberet reſponſiones quę ex actis afferri poſſent, neceſſe eſſet cúm aut negligentiam ſuā tacendo turpiter accuſare, aut plerunq; neceſſarium aliquod prætermittere, quod etiam ſi partium patronos interdum fugeret, diligentior deinde ſequentis inſtantiæ Auditor, detegeret, & emendaret magno cum illius neglig̃etis dedecore. Quocirca geminatis ipſius Collegii decretis cautum eſt ut ſinguli Auditores, antequam ſuper cauſis eis diſtributis conſilia Collegarum exquirant, omni cum dilig̃etia, debeant, quæ ſunt in actis penitisſime perſcrutari. *in anti. dcclxi dcccv.*

Informationibus faciendis, non eſt certus horarum aut dierum numerus præfinitus, (qui enim id recte fieri poſſit, cum non omnes cauſæ pares habeant difficultates, neq; illæ pari temporis interuallo cognoſci ualeant?) ſed totidem datur informationibus locus, quot opus eſſe uideatur ad ueritatem inueniendam.

Informantur aũt & priuatim ſinguli Auditores à ſingulis partibus, & (ſi uideatur eſſe operę pręciũ) ſimul oẽs in circulo ſedentes, à quo ipſi Collegio Rote nomẽ eſt inditũ. Informationes antea libere fiebant, & ſcripto, & uoce: ſed paucis ab hinc annis immutatũ eſt, ita ut quomodo olim à Clemente quinto præceptũ fuiſſe tradit Speculator præ- *ut ſpecul. tit. de reqſitione Conſilii.*

ter ipſum Proponentem,niſi cauſa id exigēte proponens ita fieri mandet,alii uoce nō informentur, ſed ſcripto duntaxat, domi(inquam)nā in circulo illis conſidentibus liberum eſt unicuiq; dicere. Neq; interea dum cauſa priuatim informatur,Auditores ipſi nihil loquuntur, aut præproperè audientiæ finem imponunt,ſed quietè admittunt,& examinant quæ proferuntur,crebris quoq; interrogationibus,ac neceſſariis interlocutionibus, & ſuos interdum ſenſus liberè aperiunt, & litigantium deprehendunt.alterius item partis argumenta alteri ſignificant,datis etiam ſcriptis utrinq; informationis,imo ſi forte aliquid Procuratorum Aduocatorum'ue imperitia,ſeu ſimplicitate partis fuerit prætermiſſum,admonent ipſi litigatores, & ſupplent,æqui ſemper in utranq; partem, quatenus attinet ad ueritatem inueſtigandam.

ſecundū monita Egid. deciſ.cxx.

Modus in formādi.

Informandi modus & ratio,quam ſcripturum me ſuperius ſum pollicitus,hæc eſt. Quoniam ipſius Collegii inſtitutio ſic habet,ut nihil extra cauſam dici,nullos affectus moueri,nullum deniq; patiātur eloquentiæ lenocinium afferri, ſed compreſſum,ac ſingula ſtatim argumenta concludens dicendi genus apud eos plus fidei meretur. Idcirco Procurator accepto ab Auditore puncto ſuper quo eſt informandum, ſi conſiderauerit aduerſariū ex facto, & rebus ipſis contradicturum,exindeq; probabile aliquod aduerſæ partis firmamētū oriturū eſſe,tunc ipſe,prætermiſſa omni exor-

Proc.

diorum præparatione,ac altè repetitæ narrationis ſerie,in datum ſolummodo punctum reſpiciens, neq; ab illo alienum aliquid immiſcens, ſi quid (ex actis duntaxat)fuerit quod ſibi uideatur ad intelligentiam dicendorum eſſe neceſſarium, illud narrationis loco ponit primum,ſubindéq; ſuæ partis confirmationem aggreditur,&(ex actis in quam & nihil extra acta proponendo)quibus ex locis,& quo pacto propoſiti dubii ueritas in ſuã partem incliniet,quam poteſt breuiſsime ſtudet ſignificare. tum deinde præoccupat eas res quas, uel dicere aduerſarium intellexit,uel dicturum eſſe,uerisimile uideatur.& eas confutando ſingulas reiicit,atq; à propoſito diſtare probat.itáq; finem facit,nulla ad mouendos affectus adhibita peroratione,nulla epilogi enumerationis'ue dictorum oſtentatione facta.Hæc(inquam)ita facit Procurator,ſi aduerſarius facto ſit & rebus ipſis contra dicturus.Nam ſi factum uel conſtet plane,uel aduerſarius de illo conſenſerit,aut dubitandi circa id rationem non oſtendat,referat autem de iure controuerſiam,ea tunc defertur ad Aduocatum. Spectat igitur ad officium Aduocati articulos illos dũtaxat informare,in quibus de iure ſit controuerſia.idq; per nudas iuris allegationes, nulla narratione,uel facti aliqua ſpecie interpoſita,tantummodo ad datum ſibi punctum, iuris argumẽta ſuggerendo.Argumenta(inquam)non infinitis illis legum,capitulorum,gloſſarum, & doctri-

narum cumulis agglomerata, ſed uel nullis (ſi argumenta ipſa ex ordinariis & notis regulis iuris accipiantur,) uel (ſi de iure aliquo ſingulari ſumpta fuerint) quam paucisſimis, & quæ punctum (ut dici ſolet) acu tangant, auctoritatibus confirmata. Qui enim aliter deceat facere apud hos Auditores, & per ſe iuris peritisſimos, & qui asſiſtãt audiendis huiuſmodi cauſis Pontifici maximo, quem conſtat omnia iura in ſcrinio pectoris habere? Itaq; hac de cauſa conſueuit inconcinnus atq; ineptus uideri, Auditoresq; & lectores tædio afficere Aduocatus, qui ad unum duntaxat punctum uerſa pagina ſoleat ſcribere. Tantũ eſt uniuerſæ Curiæ ſtudiũ breuitatis, faſtidium uero & odium publicum inanis multiloquentiæ. Eiuſmodi informationum, ab antiquioribus quibuſdam Aduocatis factarum, habemus hic multa uolumina, formarum typis nondum impreſſa, ex uulgatis autem ſimilia ſunt Oldradi Conciſtoriales olim Aduocati conſilia, niſi quod illis addita ſunt plerunq; themata, ſine quibus uiſum fortaſſe eſt illi qui ea foras dedit, conſilia ipſa non poſſe intelligi. talia ſunt item conſilia Calderini. Lapi (quæ allegationes inſcribuntur) compluraq; aliorum ex uetuſtioribus quorundam.

Ex his partium informationibus, ac primũ ſuo iugi & exacto ſtudio, deinde communicata inter ſe collatione, comparant ſibi omnes Auditores, non ſolum illarum, quæ ipſorũ ſingulis (ut dixi)

ſunt

ſunt diſtributæ, ſed omnium cauſarum notitiam, uel potius familiaritatem, & memoriã quaſi perpetuam. ita ut mirabile ſit, in tanta cauſarum multitudine, unumquenque ex eis de ſingulis cauſis interrogatum, rationem reddere poſſe. quod etiã libenter faciunt, qua ex re partibus uictis nõ modicum datur ſolatium, cùm intelligunt quamobrem uicti ſunt, & rationibus acquieſcunt, nec ſupereſt occaſio ulla querelæ, niſi forſitan aliqui ſint inſani aut temerarii litigatores, apud quos non ſit iuſtitiæ locus.

Peractis informationibus, conueniunt auditores in loco iudicii, bis per ſingulas hebdomadas, ubi in aurora de more primum in ſacello, ſacris, dein de (ſicut eſt ſuperius dictum) in circulo Procuratoribus, & Aduocatis auditis: ſubinde excluſis aliis, includunt ſe in ſacello, ubi ſex horis, plus minus, informatas inter ſe cauſas cõferunt, unoquòque ex eis illas quas informari iuſſerat proponente.

Exquirit autem is qui cauſam proponit à Collegis, non tabellarias, aut pedaneas, neque per muta ſuffragia ſententias, ſed clara conſilia, iuridicis, atque à iure communi acceptis rationibus comprobanda. nec recipit cuiuſquam dictum, etiam ſiquis illud iureiurando affirmet, niſi dicto rationes ẽt iuridicas addat. Habitis autem huiuſmodi conſiliis, deinde ſecundum eam partem ad quam numero plures Auditores inclinant, promulgat ſen-

tentiam,ſi illa ſibi æqua & iuſta uideatur. nam ſi rationibus illorum, conſcientiæ ſuæ ſatisfactum eſſe minime ſibi appareat, non cogitur aduerſus conſcientiæ propriæ dictamẽ iudicare,ſed poteſt* cauſam ad Cancellariam remittere, per alium iudicandam. præter autem, uel contra plurium con ſilia pronunciare ſibi non licet. Nec tamen exiſtimes reſolutione dubii facta, confeſtim eos currere ad proferendum ſententiam, nam (quæ ſua eſt humanitas) eam reſolutionem parti contra quam tendit ſignificare prius conſueuerunt, ut ſi aliqua reſtet illi defenſio,poſſit ea uti. neque dedignantur iterum informandi copiam facere, ſi pars ipſa id petat,præſertim ſi probabile aliquod afferat argumentum,prius non auditum.

Vt in nouis deciſ.432.

In numero illo plurium,ſecundum quem (ut dixi) eſt proferenda ſententia, non connumeratur proponens,qui quid ſentiat ipſe,nec dicit,nec ſi dicat,a uditur. Prudentiſſimo certe inſtituto, cuius rationem intelligere licet ex Poeta dicente. A ſe Tantalides onus,inuidiáq; remouit, Argolicosq; Duces mediis conſidere caſtris Iuſſit, & arbitriũ litis traiecit in omnes. Sed hic eo cautius agitur, quod ipſe Proponens (ut dixi) non connumeratur & ex aliis,qui pro alterutra parte cõſuluerint, non eſt fas intelligere.

Dum cauſa quæpiam proponitur,abſtinet à conſi lio dando,& exit interim conclaue, ſiquis interſit Auditor,apud quem ſit manifeſtum alteram par-

tium gratia prævalere. quod ſi ceſſaret per ſe facere, aut urbane admonitus detrectaret, poſſet Collegii Decanus iure ſuo uel inuitũ expellere. Sed non eſt hactenus auditum, fuiſſe quẽquam adeo proteruum, ut oportuerit uti eo iure Decanum, tanta eſt illius loci modeſtia.

Eadem probitate ac modeſtia utuntur, ſi forte diſtribui contingat cuiquam ex eis cauſam, in qua conſtet ipſum quoquomodo apud alteram partiũ fore ſuſpectum, conſueuerunt enim ultro ab eiuſmodi cauſarum cognitione ſe excuſare, illasq; ad Cancellariam aliis diſtribuendas remittere.

Si paria ſint utrinque conſilia, quod contingere poteſt ubi ex duodenario numero (quod ſæpe accidit) aliquis deeſt, tunc eſt ipſius quidem Proponentis optio, ut quam putet æquiorem opinionẽ eligat, tamen hoc quoque iure (quæ ibi uiget modeſtia) non utuntur. Sed aut concordia rem trãſigi curant, aut Papam deſuper *cõſulunt, aut ampliant cauſæ deciſionem, donec uel ipſorum aliquis uictus rationibus aliorum mutet ſententiã, & alteri parti accedat, uel superueniat alius in alteram partẽ inclinatus. Solebant & olim eiuſmodi cauſas referre ad *publicas relationes. quod quid eſſet, inferius dicetur. Neque culpandi ſunt, quod in æquali diſſenſione, mitiorem partem non amplectentes, reum pro abſoluto nõ habent, quẽadmodum olim in Areopago legimus eſſe obſeruatum, quandoquidem ibi de capite quærebatur,

Vt in no. dec. 17. cum multis aliis.

Vt Egid. dec. 384. & aliis multis.

hic(ut dixi)nunquã capitales,& publicæ,ſed priuatæ duntaxat cauſæ,ciuiliter tractantur.

Neque indecens ſibi exiſtimant hi Auditores tũ ubi paria ſunt conſilia,tum alias in quacunque iudicii parte,antequam de cauſa liqueat,ſi occaſio uideatur adeſſe negocii cõponendi,dilato pauliſper officio Iudicis,recipere pacificatoris,& quaſi communis amici partes.quod ſi minus ſuccedat,accingunt ſe ad ſententiam proferendam.

Solet à multis de illo tribunal hoc notari, quod ſit in expediendis cauſarũ deciſionibus plus ęquo tardum.Sed quia re uera non meretur eam notam,cùm ſicubi nimia diuturnitas intercedat, illa non ex inſtitutione tribunalis,ſed aliunde proueniat.idcirco tibi,& aliis(ſi qui hæc legerint)id minime ignotum eſſe uolo, quod quantum attinet ad ipſum Auditorium,proceſſus eſt admodum expeditus,quippe qui ſemper ſummarius ſit,ac compẽdiarius,ita ut ſæpe contingat,(modo ſint probationes paratæ,)ſpacio nouem anni menſium, quibus dicitur ius,quamlibet arduam cauſam, trinis ſententiis iudicari.Si qua autem intercedit mora, illa potius à litigatoribus prouenit, qui uel proſecutionem litis plerunq; intermittunt,reſumuntq; temporibus interpollatis:uel quaſi aduenerint imparati,ad ſingulas quaſq; difficultates quæ litigando uel altercando deteguntur,producendis & teſtibus,& inſtrumentis,dilationes flagitant.iis dilationibus certe,ubi per calumniam eas peti quo-

quomodo ſuſpicio ſit, uia præcluditur. ſinautem omnis calumniæ ſuſpicio abſit, indecens eſſet tanto tribunali, non auſcultare iuſta petẽtes, & (ſicut prouerbio dicitur) cito iudicando, ad pœnitendũ properare, promulgando uidelicet ſentẽtias, mox in altera inſtantia, ob producenda teſtimonia & inſtrumenta, reuocandas. itaq; ubicunque abeſt calumnia dilationibus non parcunt, & quandocũque ante promulgatam ſententiam, quæ ad cauſam faciant, producantur, ea ſemper recipere con ſueuerunt, & inter hæc fieri non poteſt, ne currãt temporum interualla, præſertim cum cauſis plerunque ex longinquo aduectis, neceſſe ſit ad eas regiones à quibus cauſæ uenerint, probationum dies iuſta moderatione comparare. adhuc igitur nulla eſt uel Auditorii, uel Auditorum culpa. Inſtructa cauſa, quæ non habeat, aut arduas iuris difficultates, aut facti, per coniecturæ argumenta decidendi controuerſiam, abſq; ulla cunctatione expeditur. Sin autem eiuſmodi controuerſiam, ac difficultates habeat, quia tunc opus eſt Auditorẽ expectare occaſionem temporis, ut poſſit, legendo etiam inſtrumenta & teſtimonia, cauſæ merita uni uerſa Collegis exponere, ac ſuper illis deinde quæ à partibus informando adducuntur argumenta referre, Collegarumq́; conſilia deſuper (ut eſt dictum) exquirere, nec ulla eſt adeo facilis & expedita cauſa, circa quam hæc omnia paucis horis tranſigi poſſint, neceſſe eſt interim dies multos

præterire. Quod ſi quis conſideret multitudinem cauſarum quas præ manibus habent, anguſtiam uero temporis, quo (ut dixi) concluſi cauſas conferunt, ſex uidelicet horarum, partiẽdarũ in duodecim Auditores, mirabitur potius, quod ea celeritate qua ſolent, expedire ſeſe ualeant, q̃ quod eos tarditatis accuſet, quanquam hic uerſatis non eſt adeo mirum, quippe cum ſit manifeſtũ, ipſos Auditores, diuturno & continuo iudicãdi uſu, cauſarũ omnia diuerticula ita callere, ut (inſtructi præſertim Aduocatorum & Procuratorum utriuſque partis informationibus) quãcunq; & quantumlibet confuſam & intricatam cauſam, in pauca redigant, & concludant, in quibus ea conſiſtat. Et ne fortaſſe aliquis argumentetur poſſe eos ſi uelint ſaltem frequentius quam faciunt conuenire, conuenienteſq; ſimul diutius morari, animaduertendum puto eſſe, primum quod in tam ardua & laborioſa controuerſarum rerum collatione, uno atq; eodem die ſex horis durare, eſt perquam difficile, ſæpius autem conuenire poſſent. neque ita pridem tertio quoque die conueniebant, exceptis dominicis & aliis feſtis diebus. Sed experiẽtia docuit, magis expedire hoc quod agitur, ſiquidem hoc ampliori temporis interuallo, Aduocati & Procuratores faciendis informationibus diligentius incumbere, ipſi uero Auditores informationes audire, ac ſcriptas perlegere, illarumq; argumenta etiam ex libris poſſunt maturius pon-

derare. neq; exiſtimes eas numero paucas eſſe, quin certò ſcias nullã eſſe audientiã, qua (ut minimum dicam) quadraginta cauſæ non informẽtur. quod ſi reputes in unaquaq; cauſa, utraq; ex parte ſcriptas, & plerunque binas, facti uidelicet & iuris informationes ſingulis Auditoribus porrigi, habebis immenſam congeriem, quam neceſſe eſt ut ſinguli totam perlegant, & præterea de ſuo etiam aliquid addant, prout res tulerit, ne uideantur eas negligenter uidiſſe. hæc autem paucis horis fieri nequeunt. atq; hinc eſt quod plures nunc cauſæ finem accipiunt his duabus informationibus, quam acciperent olim trinis illis per ſingulas ſeptimanas. Quod ſi cuiquam hæc quæ dico non ſatisfaciunt, is conſideret ea quæ ſunt in aliorum Principum & Rerum publicarum ditionibus tribunalia ſuprema, in quibus ad exemplum huius Auditorii, cauſæ à multis iudicantur, (quorum penè omnium mos cognitus mihi eſt,) & penſatis circunſtantiis uniuerſis, comperiet (ne de aliis iudicii qualitatibus loquar) maturitate expeditionis, hoc Auditorium nulli alteri ſecundum eſſe. Illud non uidetur ſilentio prætereundum eſſe, quod alii quoq; ſiue ordinarii, ſiue extraordinem dati iudices, antequam arduas & difficiles cauſas diiudicent, Rotæ ſententiam explorare ſtudent, quaſi certò exiſtimantes, ita procedente iudicio, uix poſſe errori locum eſſe.

Eſt autem ius prouocandi ab ipſis Auditoribus

ad Papam, ſemel atque iterum, ſecundum iuris communis diſpoſitionem. Sed Papa (tanta eſt de probitate loci exiſtimatio) eiuſmodi cauſas, aliis quidem Auditoribus diſtribui iubet, extra ipſum autem Collegium iudicandas non delegat. Sed (ut magis etiam loci uenerationem agnoſcas & admireris) non raro contingit, ut ipſimet litigatores aduerſus quos proferuntur ſententiæ, ſuarum appellationum cauſas iiſdem Auditoribus qui ſententias illas protulerint, ſponte ſua diſtribui petant, certò ſcientes quod pro ſingulari eius Collegii probitate ac modeſtia, ſi quid in altera inſtantia, contra prolatam ſententiam, ualidum afferatur, ſiue illud ſit ex facto, ſiue ex iure, non minus æquo ac pacato animo, ſententiam (prout res exigit) mutant & corrigunt, quàm faceret alius quilibet iudex cui eſſet illarum cognitio demandata. Eſt & alterum quaſi prouocationis genus. Nam ſi in aliqua de iure controuerſia Proponens, retulerit maiorem conſiliorum partem à Collegis habere, Aduocatusq; partis eius, contra quam eo modo ſit controuerſia reſoluta, putet aliter poſſe de iure ſuſtinere, licet ei appellare publicas relationes, id eſt ut dubium illud iuris die dicta, in Cardinalium, & aliorum qui ſint iuris periti, Curiæ Prælatorum conſeſſu publico, proponatur, atq; ita partium Aduocatis de iure differentibus palàm auditis, à maiori parte illius numeri cauſa decidatur. hoc magis uerum eſſe oſtendit, illud quod ſæpius dixi.

De quibus Old. cõ. cxcviii. uerſ. ad quintũ. Egid. deci. cclxxxiiii. in no. cccx. cccc xliii. P. Anch. con. lix.

App: ad publ[icas] relationes.

dixi. Rotæ Auditorium eſſe non ex Monarchię, ſed ex Reipublicæ forma inſtitutum. Veruntamen Aduocatorum qui ſuperioribus annis fuerunt, inertia, puſilloq; animo factum eſt, ut iampridem egregium hoc Iudicii genus eſſe deſierit, ſiquis tamen, occaſione data, opportune id petere auderet, non eſt abrogatum.

Hæc ſunt quæ mihi de Auditorii Rotæ inſtitutione in præſenti dicenda uiſa ſunt. nam & plura eſſe non dubito, quæ me fugerint, & multa ego tanquam leuiora & friuola conſultò præterii. Ex dictis autem, per te ipſum facile iudicare poteris, an de aduentu ad Vrbem tuo, rectum tibi meum conſilium uideatur. Et alii quibus id uenerit in mentem, poterunt antequam iter ingrediantur, de rebus ſuis, & quid hic acturi ſint, mature liberare.

REVERENDISS. ATQ. ILLVSTRISS. D. RAINVcio Farneſio Cardinali S. Angeli. Ant. Maſſa Galleſius. S. D.

NON mediocri gaudio atq; lætitia ſum affectus ampliſſime Cardinalis, quòd his proximis diebus acceperim te, Aui etiam tui ut maximi principis, ita & prudentisſimi uiri ſuaſu, decreuiſſe iuris & legum ſcientiæ operam dare. cum ad amplitudinis tuæ abſolutionē perfectionemq; (meo quidem iudicio) nihil aliud deeſſe uideatur. Quā obrem tibi gratulor, teq; etiam uehementer adhortor, ne à ſententia diſcedas: ne'ue his, ſi qui forte fuerint, qui ab eo ſtudio dehortari te ac deterrere aggrediantur, fidem præſtes, ſummopere obſecro. Sunt enim nonnulli qui iuris ſcientiam inſectantur, quaſi (ut ipſi exiſtimant) ea non poſſit eius ſtudioſo præſtare, ut bonis moribus ſe ipſum exornet, neq; ut cæteros conſilio & prudentia ſua regat. Hæc enim illi putant unius Philoſophiæ partes eſſe. Iuriſconſultorum aūt non aliū eſſe finē, niſi ut ad magnos honores opesq; perueniāt. Quamobrem (aiunt) in pecuniariis controuerſiis, atque omnino in tenuibus minutisq; rebus occupati, nihil omnino amplum, ac magnificum

concipere animo poſſunt. Sed hi profecto non uno in errore uerſantur, primum enim mihi ſeparare à Iuris prudentia partem illam Philoſophiæ uidentur, quæ attinet ad mores uniuſcuiuſq; formandos. Verum longe ſecus ſe res habet. ea enim quæ de moribus eſt Philoſophia, Iuriſconſultis eſt adeo peculiaris, ut inter prima Iuris principia, quæ ſecum è domo futurus Iuriſconſultus afferre debet, ſit illud præcipuum. Honeſte uiuendum. Quod nec diſſimulauit philoſophorum princeps Ariſtoteles, cui cũ propoſitum eſſet in libris Politicorum, de ciuili & legum ferendarum facultate tractate, nõ prius id facere aggreſſus eſt, quàm decem de moribus libros edidiſſet, eo quod prius neceſſarium eſſet de moribus hominum docere, quales ii eſſe debeant, qui ciuitatem conſtituunt. Et Chryſippus, quem refert Martianus Iuriſconſultus, ita in libro, quem de legibus cõpoſuit, ſcriptum reliquit. L E X tam diuinarum, quàm humanarum rerum omnium regina eſt, quo magis conuenit, ut nõ ſolum rebus honeſtis, turpibuſq; præſideat, ſed etiam principatum, ac ducatum teneat, & per hoc regulam præſcribat iuſtis ſimul & iniuſtis, ut pote quæ animantibus natura ad colẽdam ciuitatem idoneis facienda iubeat, prohibeatq; non facienda. Quapropter & ſub Iuriſconſulti perſona Vlpianus inquit. Iuſtitiam colimus, boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes, bo

nos non ſolum metu pœnarum,uerum etiā præmiorum quoq; exhortatione efficere cupientes, ueram(niſi fallor)Philoſophiam,non ſimulatam affectantes. Neq; aliter ſenſit M. T. Cicero apud quem Craſſus ait. Bibliothecas mehercule omnium Philoſophorum, unus mihi uidetur xii. tabularum libellus,ſi quis legum fontes & capita uiderit,& auctoritatis pondere,& utilitatis ubertate ſuperare. Quod multo magis & meliori iure nos dicere poſſumus, intuentes magnam illam, quæ poſtea ſequuta eſt,acceſsionē,ex Prætorū edictis,Plebiſcitis,Senatuſconſultis, Prudentium reſponſis,Imperatorum & Pontificum reſcriptis,ac ſanctorum patrum,& Conciliorum decretis. quibus omnibus uere abſoluta,atq; perfecta eſt Romana Iuris prudentia. Non poteſt igitur iuſte ſeparari moralis Philoſophia à Iuris ſcientia. Deinde cum iuris ſcientiæ duæ ſint poſitiones,una quę in publico,altera quæ in priuato iuris genere uerſatur. Iſti primum de uniuerſo publico iure (ſub quo cōtinetur & Pontificium, quod præſcribit ea quæ attinent ad ſacra,ſacerdotes,et uniuerſam religionem)nihil conſiderant. Deinde etiam ipſius iuris ciuilis tenuiorem agnoſcunt partē,quæ pertinet ad ius priuatorum : cum longe prior & dignior ſit ea pars,quæ continet ipſarum legum cōſeruationem,necnon Iuſmilitare, magiſtratus, fœdera,ritus,cōſuetudines,annonam,uectigalia, tributa,uniuerſam deniq; Rempublicam. Neq; ue-

rò priuatorum ius omne pecuniariam ſpectat uti litatem. Quid enim commune cum pecuniis habent ea, quæ de nuptiis, & matrimoniis, de tutelis pupillorum, de patria poteſtate, de conſanguinitate, & affinitate, de liberis agnoſcendis, deq; uniuerſo perſonarum ſtatu in multa genera diſtincto tractant, atq; alia id genus multa? Ad hæc peccatum quod nonnullorum fortaſſe eſt hominum, ut ſub Iuriſconſultorum nomine, pecuniis atq; hono ribus conquirendis dent operã, id reprehenſores iſti tribuunt iuris ſcientiæ, quam illi male profitẽ tur. Cum Iuriſconſultus duntaxat is ſit nominan dus, qui talis eſt, qualis ſuperius ex Vlpiani uerbis à nobis deſcriptus eſt. Qui autẽ honori pecu niis'ue ſtudet, aut aliud agit: honoris pecuniarũ'ue amator, aut quouis alio conuenienti nomine appellandus erit. quod & de medico aliud, quàm ualetudinem curante, ſimiliter dixit medicorum princeps Galenus. At iſti fortaſſe dicent, omnino tuus iſte Iuriſconſultus nihil unquam niſi huma num ſapiet. At uero quum ſit ad Theologiã Philoſophiæ ſtudium quaſi aditus, & Ianua quędam, ducet te ad Dei optimi penetralia, proderitq; ad beatam uitam comparandam. Quod ſi de Morali philoſophia dictum eſſe uoluerint, ex iis quæ ſuperius dixi, patere poteſt, quantum à uero, ac iuſto aberrent. Si autem de illa Philoſophiæ parte intelligent, quæ de anima, de cœlo, & mũdo, aliiſq; Dei, & Naturæ arcanis altius ſpeculando inten-

dere uidetur. hic ego quidem aduerſus eam Philoſophiã, Theologiam'ue, ad quam perſcrutandã illa opitulari quodammodo fertur (probatas uidelicet ab omnibus ſcientias) nihil dicturus ſum, neq; illa noſtra eſt diſputatio, ſit'ne opera danda Philoſophię, Theologięq; ſtudiis, ſint'ue illę Iuris ſcientia præſtantiores, nec'ne. Sed illud duntaxat quærimus. Conueniat'ne tibi dare operam Iuris ſcientiæ. Aduerſus autem iſtos, hoc tantum dicã. Quæcunq; ad bonos mores, ad religionem, ad beatam deniq; uitam comparandam facientia, diſputando, tanq̃ incerti quærunt Philoſophi, & Theologi: ea omnia tanquam ex legibus ipſis, & ſacris canonibus demonſtrata & certa, Iuriſconſultus obſeruat, & firmiter cuſtodit, illorumq; aliquod in controuerſiam uertere, nefas ducit, quod quanto ſit laudabilius, nemo (ut puto) non iudicabit, præſertim ſi reputauerit, quantas olim & apud gẽtiles, & ab initio noſtræ religionis ad hunc uſque diem apud noſtros, turbas concitauerit illa de ſingulis diſputandi Philoſophorum, Theologorũq; licentia. Sed his omiſſis, ad rem noſtram propius accedendũ eſt. Collatura'ne ſit aliquid ad te exornandum iuris prudentia? Ad quod affirmandum, & ſi unum illud ſufficere deberet præiudicium, q̃ Auus tuus uir prudentiſſimus id ſuaſerit: quem (in re præſertim tam ſeria) iocando, aut pertentãdo loquutum eſſe, aut quicq̃ non ſibi prius diligenter meditatum, & certum perſuadere tibi uo-

luiſſe,ne cogitari quidem ſine piaculo poteſt. Tamen ut illis etiam ſatisfiat, qui nihil prudentium autoritati credentes, omnia rationibus probari ſibi expetunt, exponam quod ſentio. Res autem ipſa (ut puto) melius iudicari poterit, ſi te Romanæ Eccleſiæ Cardinalē eſſe meminerimus, & quale ſit Cardinalis officium conſiderauerimus. Quibus bene perpenſis (niſi ego fallor) apparebit, Iuris notitiam non ornamenti tantummodo, ſed ét neceſſarii officii cauſa tibi eſſe habendam: ita ut abſq; illa, ſiuē publice, ſiue priuatim aliquid ſit agēdum, uix poſſis omnibus numeris abſoluti Cardinalis officio fungi, ac perſonam ſuſtinere. Nam cum publica, & cum omnibus Cardinalibus communia ſint illa munera, ut ſummo Pontifici gerēdi ſacerdotii maximi ſint adiutores, auctoresq; in ſacroſancto Senatu conſilii ineundi, utq; in demortui Pontificis locum, alium deligant. Ad recte gerendum ſacerdotium, ſi à quoq̄, ea profecto proprie à Iuriſperito adiumenta petenda erunt, cum ſacra omnia ex præſcripto ſacrorum canonū peragantur. Sacer autem Senatus cum potiſſimum uerſetur in iudicandis controuerſiis, aut diſponēdis per uniuerſum orbem rebus ad religionē pertinentibus, ſiue nouis ferendis legibus, ſiue iā latis interpretandis, aut de illarum ſententia, præmiis diſtribuendis, ſeu pœnis irrogandis, aut demum regendis populis Romanæ Eccleſiæ ditioni ſubiectis: in his omnibus, aut illorum potiori

parte

parte iuris,ſed potiſsimum Pontificii,ignarus Car
dinalis, non uideo quodnam conſilium præſtare
alteri poſsit, quod per ſe ipſe non habeat,niſi tan-
tùm ut periculum incurrat, ne de his quenquam
uerba faciens,ab aliis Iuris peritis, quaſi Peripa-
teticis alter Phormio, irrideatur.In noui quoque
Pontificis electione,& quæ circa illam continge-
re poteſt,diſceptatione, non poterit niſi doctorũ
cedere authoritati Cardinalis Iuris ipſius igna-
rus,præſertim qđ eſt de electione poſitũ. Neque
uerò idoneus erit Cardinalis Iuris imperitus, ad
ea quæ extra Senatum contingere poterunt mu-
nera obeunda. finge enim delegari illi à Pontifi-
ce munus cognoſcendarum cauſarum, uel obſi-
gnandi ſupplicum libellos,uel ut Regni alicuius,
aut religioſorum ordinis tuendi, moderandiq;
patronus conſtituatur, aut ad regendam prouin-
ciam legatus mittatur: quid in his muneribus ge
rere poterit,niſi ex alicuius alterius Iuris periti ar
bitrio? quod quam parum deceat Senatoriã gra-
uitatem,ut partes ſuas niſi alio præcinente,imple-
re nequeat,clarius eſt, quam ut probari indigeat.
Non ignoro neq; inficior multos præteritis tem-
poribus fuiſſe,& nunc eſſe in ſacro ueſtro colle-
gio Cardinales uiros grauiſsimos,qui & ſi ſtudio
Iuris non incubuerint,ad hæc tamen omnia gerẽ
da quodammodo pares eſſe potuerint & poſsint,
Hoc tamen dicam,primum id non omnibus, ſed
admodum paucis contingere, ut tali ſint præditi

ingenii fœlicitate, ac naturæ præſtantia. deinde il los ipſos, ſi interrogentur. arbitror non eſſe nega turos: multo certius ac melius ea ſe exequi, ac per ficere poſſe ſi iuris ſcientia præditi id ex arte face- rent. Nam hoc ita de quibuſdam aliis quoq; ſciē- tiis accidit. ars tamen eſt dux certior, quam natu ra, ut omnes omnium diſciplinarum idonei autho res uno ore teſtantur, & (ſicuti addit Plutarchus) cæca res eſt natura ſine diſciplina. Ex his quæ à nobis iam dicta ſunt, ſatis reſponſum eſſe poteſt. iis etiam, ſi qui ſunt, qui putent tibi in excelſo hoc honoris gradu iam conſtituto, iuueni ex illuſtriſſi ma ac nobiliſſima familia nato, diuitiisq; abundā ti, præſtantiq; ad ſublimes quaſq; ſcientias capeſ- ſendas ingenio, minime opus eſſe, ut ad magnam authoritatem aſſequendā des operam iuris ſcien tiæ, quaſi hæc ratio ſoleat eſſe hominibus dunta- xat in tenui fortuna natis ad magnos honores, opesq; perueniendi. Quandoquidem iuris cogni tio, ut dixi, etiam illis qui Senatorium hunc hono rem quacunq; uia fuerint adepti, adeo eſt neceſſa- ria, ut ſine illa Senatorium munus uix poſſit im- pleri. & ne uerbis tantum agam, ſi percurrantur hiſtoriæ, & memoria repetantur qui noſtro hoc æuo fuerint, ac ſint Cardinales iuris periti, ex cla- riſſimis orti familiis, & opibus abundantes, plura ſine dubio inuenientur exempla, quam ut intra epiſtolæ modum ualeant contineri. paucos tamen referam, quorum imitatio tibi (ut puto) non erit

pœnitenda, qui & Romani, & ex Principibus Romanorum familiis, atq; illis Illuſtri familiæ tuæ conſanguineis orti fuerunt. Nempe Vgolinus ex comitibus, Iohannes Vrſinus, & Benedictus Caietanus. quibus omnibus Iuriſconſultiſsimis (quod optimis tibi omnibus dictum eſſe uolo) eo ſtudio contigit ad maximum Pontificatũ prouehi, atq; adſumi. qui etiam poſteaquam Pontifices facti ſunt, minime id ſtudium intermiſerunt. Sed (credo ita ferẽte præclaro genio huius urbis à Deo ad imperandum dandumq; leges orbi terrarum conſtitute, ut quemadmodum humanum ciuile ius ab urbe Roma, & Romanis ipſis in uniuerſum fuerat orbem diſſeminatum: Ita & ipſum ſacrum diuinumq; ius (quod Pontificium appellatur) non à Romanis ſolum Pontificibus, ſed ab aliis etiam Romanis ciuibus datum eſſe manifeſte conſtaret) ille nonus Gregorius Pontifex appellatus, poſt multas ab ſe ſancitas leges (quas appellamus Decretales) cunctas ſuperiorum Pontificum ſanctiones, in ea quinque librorum membra partitus eſt, quæ decretalium nomine uulgus appellat: Hic uero, octauus Bonifacius cognomento appellatus, illis ſextum præterea librum addiderit: Iohãnes autem cui Nicolao tertio nomen fuit, non modo leges de eligendi ratione, ſed etiam de urbe aduerſus hominum ſeditioſorum ambitionem tuẽda leges tulerit. & dubitabimus adhuc, cõueniat ne tibi quamuis nobiliſsimo, po-

tētiſſimoq; Iuueni in Cardinalium numerū aſci-
to, ad abſoluendum amplitudinis tuæ ornatum,
dare operā Iuris ſcientiæ, ſine qua uix poſſis Car
dinalis munia obire, & cum qua (Romana uideli
cet arte) per te ipſum leges populis dare ualeas?
Quod quidem tibi faciendum cenſerem, etiam ſi
magno ac diuturno id labore comparādum eſſet.
quanto ergo alacriori animo agendum eſt, cum
ea ſit ſcientia omnium facillima, atq; ita bene ordi
nata, ut (non dicam triduo ſicut ille dixit) ſponſio
nem facere audeam, te ſublimi ac penè diuino
hoc ingenio præditum, minus tribus annis om-
nem utriuſq; Iuris ſcientiam affatim eſſe perce-
pturum, modo adſit prudens prælector, qui recta
docendi uia, & ratione te ducat, quales etiam mul
tos, ſi uolueris, tibi non defuturos eſſe certò ſcio.
Atq; hoc ita à me dictum eſt, ut interim non ſit
tibi ab ipſius Philoſophiæ, aliiſq; optimis, quibus
delectaris, ſtudiis deſiſtendum. Vale.

FINIS.

SERIES CHARTARVM.

AB abcdefghiklmnopqrſtu.

Venetiis apud Michaelem Tramezinum.

M D XLIX.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

